PHARMACOPOEA

BATAVA.

AMSTELODAMI,

APUD

JOHANNEM ALLART,

MDCCCV.

SCRIPTORES PHARMACOPOEAE BATAVAE AD LECTOREM.

Publica auctoritate cavendum esse, rite sint instructæ officinæ pharmaceuticæ, necesse igitur esse, ut *Codex Pharmaceuticus*, in usum universæ reipublicæ lege sancitus, prodeat, non facile quisquam inficias iverit. — Nullus ejusmodi Codex extabat in patria nostra, et qui ineunte seculo elapso, et ante hoc tempus, in usum nonnullarum majorum civitatum, magistratuum urbanorum provida cura, editi fuerunt, non amplius proposito satisfaciunt. Erant quidem plerique hi codices eo tempore, quo conscribebantur, ad statum disciplinarum satis accommodati; sed quum deinceps eorum pauci ad rationem progressuum eximiorum, quos ars pharmaceutica etiam olim fecit, locupletiores et emendatiores redderentur, evenit, ut, cum multis in locis nunquam inde a prima

promulgatione aucti et emendatiores recusi prodierint, sensim a proposito, cui assequendo a proavis erant destinatis, recesserint. Superstitem in illis invenies, maximo sane optimæ arti, eximiisque illius in patria nostra cultoribus opprobrio, inconcinnam medicamentorum farraginem, quæ dudum sanior nostris diebus medicina rejecit. Hic itaque potius inveniri velles, quæ in lucem protraxit recentiorum solertia, quibusque nemo medicorum hodie vellet carere. Denique in iis codicibus ipsa composita pharmaca vix unquam talia esse jubentur, qualia a probatis in arte viris censentur ad usum vocanda. Hinc factum est, ut, licet hi codices pharmaceutici nomine adhuc vigere videantur, usu tamen, ut meruere, ferme exoleverint. Accedit, qui malorum omnium est cumulus, quod in multis patriæ urbibus, solemni jurejurando pharmacopolæ, antequam ad artis exercitium admittantur, sancte promittere teneantur, ut ad talem normam remediorum præparationem instituant.

In sola civitate Amstelodamensi longe præstantior talis *Codex* receptus est, quem Clarissimi Collegii Medici Inspectores Anno 1792, laudabili admodum instituto, sub titulo *Pharmacopœæ Novæ Amstelodamensis* tanto studio et rerum intelligentia concinnarunt, ut formularum officinalium plurimæ, magno artis salutaris emolumento, ad sanas chemiæ regulas redactæ et emendatæ prodierint. At quæcunque sint hujus operis merita, quæ grato animo lubenter agnoscimus, multum tamen abest, ut hodierno illique splendenti chemiæ atque pharmaciæ statui, qui potissimum inde ab accen-

ſa per immortalem LAVOISIERIUM face, tot clarorum per omnem Europam florentium virorum communi opera, invaluit, ut par est, reſpondeat. Habita interim ſit in majoribus civitatibus ſaltem aliqua ad officinas pharmaceuticas inſtruendas cura, fuit hæc in aliis penitus neglecta, et in oppidis minoribus atque rure ſupellex pharmaceutica nulla prorſus lege definita fuit.

Qualis ergo hinc in univerſum exoriri debeat conditio rei pharmaceuticæ, nemo non intelligit. Quodſi enim aut nulla lege, aut quæ non ſufficiat, definiatur, quænam medicamenta ad communem uſum in officinis præſto debeant eſſe, neque moneatur, qualis ſelectus inſtituendus, et qualis præparandi ratio adhibenda ſit, verum hæc judicio atque arbitrio pharmacopolarum potisſimum relinquantur, quorum hic Pharmacopœam Amſtelodamenſem, ille Edinburgenſem, alius aliam, commodiorem viſam, pro norma ſibi eligat, fieri non potest, quin hinc ægrotanibus, ex ejusmodi ſupellectile opem petentibus, multiplex periculum immineat. Non tantum ſic ſæpe medicamenta admodum utilia frustra quæruntur, verum etiam ſub eodem titulo in variis officinis medicamenta occurrunt, indole perquam diverſa, ita quidem, ut ſæpe medicus non accurate cognoscat virtutem ejus, quod præſcribit, potisſimum ſi de præparato chemico agatur, niſi ante illud in unaquaque officina, quacum ipſi res est, examinaverit.

Et quum nulla detur in toto terrarum orbe regio, in qua tam asſiduum et multiplex mercaturæ cauſa in-

ter variarum urbium incolas ſit commercium, mirum nulla ratione videatur, tristisſima pasſim apud nos extitisſe ægrotorum exempla, qui, hujus incuriæ victimæ, tristi fato occubuerunt ſub uſu remedii, quod domi bene ferebant, ſed quod, ſub eodem titulo alibi alia ratione paratum, fortiori actione lethalem hunc effectum habebat.

Tacemus alia ex eodem fonte manantia, quæque ad pharmacopœorum inſcitiam, ſocordiam, avaritiam, præconceptas opiniones, vel ſimilia pertinent.

Contra multiplex ejusmodi malum omnes, rei medicæ atque pharmaceuticæ periti, inde a longo tempore in eo aptam fore medelam opinati ſunt, ſi ſuprema moderatorum patriæ auctoritate in uſum univerſæ reipublicæ Codex Pharmaceuticus promulgaretur, qui ſelectum in medicamentis faciendis ſevera lege præcipiat, modumque, ad quem ſingula ſint conficienda, accurate definiat, ut ſic ubivis locorum et nomine et efficacia eadem præsto ſint adverſus morbos arma.

Voti hujus conſequendi opportunitas nata demum fuit, creato hac in republica Anno 1798 Præfecto inſtitutionis publicæ, cui rei quoque medicæ per totam patriam emendandæ committebatur cura. Hoc etenim munere quum primus fungeretur Vir Amplisſimus THEODORUS VAN KOOTEN, fausto fato evenit, ut, qui huic a ſecretis erat Vir Doctisſimus, JANUS VAN HEEKEREN, Med. Doct. eximio ſtudii medici amplificandi ardore flagraret, et inter reliqua, quæ huc

huc facere videbantur, Præfecto ſuaderet, ut mox ad Quinqueviros, penes quos ſuprema erat reipublicæ adminiſtrandæ potestas, de rei pharmaceuticæ apud nos ſtatu referret, atque reformationem inchoandam urgeret per *Pharmacopœam Batavam*, Batavis univerſis præſcribendam, quæ ad præſentem disciplinarum naturalium, præſertim chemiæ, rationem accommodata eſſet.

Probato Amplisſimi T. VAN KOOTEN conſilio, eodem auctore die 1 Aprilis 1799 reipublicæ regundæ Quinqueviri, provinciam conſcribendi talis Codicis pharmaceutici in nos deferendam eſſe, voluerunt. Difficillimum arduumque laborem in uſum publicum ultro eſſe ſuscipiendum, officii nostri duximus. Ut autem illo, pro gravitate atque utilitate rei, fungeremur, in congreſſu, Amſtelodami brevi post habito, ante omnia elaborandi operis normam, nec non rationem, ad quam quisque nostrum domi, maximo cum fructu, commune ſodalitii penſum ſua opera poſſet provehere, definivimus.

Mox ſinguli ſeorſim manus operi admovimus, meditationis autem atque experientiæ fructus cum univerſis ſociis communicavimus; habitoque ſuper illis litterarum amico commercio, atque repetito aliquoties omnium conſeſſu, eo tandem res fuit perducta, ut communi conſilio ea forma PHARMACOPOEA BATAVA fuerit concinnata, qua hodie in publicum prodit.

Luctuoſum interim accidit, ut unus ex ſodalibus nostris G. G. TENHAAFF, vir ingenio atque doctri-

na præclarus, chemiæ peritissimus, medicam praxin Roterodami cum omnium applausu inde a multis annis exercens, præmatura morte suis, patriæ atque rei litterariæ, ante finitum, quem conjunctim susceperamus, laborem, et in quo ad fatalem diem usque indefessus partes suas sustinuit, die 8 Decembris Anni 1800, eriperetur.

Effluxisse triennium et quod excurrit, antequam ad finem laborem perduxerimus, nemini mirum videbitur, consideranti, quot quantarumque rerum consideratione, qua cautione, ne temere ab aliis proposita assumerentur vel rejicerentur, quot denique experimentis instituendis atque iterandis opus fuerit. Moram etiam hîc fecerunt disjuncta sociorum habitatio et uniuscujusque muneris, cui domi vacabamus, frequentiora negotia.

Non interim possumus, quin grato animo agnoscamus, nihil subsidii, nihil, quo indigeremus, ad laborem penitus exsequendum, commodi nobis desiderandum reliquisse, cum Amplissimum T. VAN KOOTEN, tum Virum Amplissimum JOANNEM HENRICUM VAN DER PALM, successorem, Anno 1799, THEODORO VAN KOOTEN datum, adjutorem nostri laboris amicum pariter, ac indefessum, tum etiam Triumviros Collegii, quod res internas hujus reipublicæ curat, cui, Anno 1801 constituto, omnium, quorum cura ad Præfectum institutionis publicæ antea pertinebat, post concredita est administratio.

Sic liberali Procerum favore atque auxilio tandem pen-

penſo abſoluto, defuncti, quod nobis oblatum fuit, munere, ſolemniter die 18 Februarii 1803 in Triumvirorum dictum concilium Pharmacopœam, a nobis conſcriptam, detulimus.

Hanc Triumviri approbantes Duodecimviris reipublicæ gerendæ miſerunt, ſuadentes legem promulgendam, ad quam hæc Pharmacopœa Batava ad uſum publicum poſſet introduci. Duodecimviri, propoſito annuentes, formulas cum Pharmacopœæ, tum legis ferendæ, cum Senatu in patria ſummo, penes quem poteſtas legislatoria est, communicaverunt, ut vellet illas auctoritate ſua ſancire. Habito quam primum conſilio his Proceribus placuit, decreto diei 29 Julii 1803 ſtatuere:

1. Sit univerſæ Reipublicæ Batavæ unus Codex Pharmaceuticus, ad cujus normam pharmaceuticæ officinæ omnes inſtituantur.

2. Sit hic Codex Pharmacopœa Batava, quem Duodecimviri reipublicæ gerendæ obtulerunt.

3. Probentur, quas propoſuerunt, ad introductionem hujus Pharmacopœæ ſpectantes leges, atque tandem univerſum hoc negotium ulterius exſequendum illis relinquatur.

Ab eo tempore Duodecimviri reipublicæ gerendæ, vocato in conſilium collegio, quod res internas curat, confirmatam ſuprema auctoritate Pharmacopœam Bata-

vam typis describendam, promulgendam et ad usum publicum convertendam jusserunt, unde tandem nata lex est 25 Februarii 1805, quæ calci operis adjecta reperietur.

Et quo magis caveatur, ut Pharmacopœa Batava, prouti nunc, ita deinceps disciplinæ chemicæ atque pharmaceuticæ statui respondeat, Duodecimviri rogatos voluerunt hujus operis scriptores, ut junctis sodalitii viribus, quovis sexennio appendicem faciant earum rerum, quæ ab eo inde tempore, quo hæc Pharmacopœa Batava fuit introducta, denuo inventæ et in communem usum vocatæ sunt, quam, reipublicæ Rectoribus approbantibus, in lucem edant; singulis autem viginti quinque annis denuo universam hanc Pharmacopœam redigant, ut pari semper incremento cum progressibus scientiarum chemicarum, Codex, publica auctoritate sancitus, augeatur.

Atque hæc sunt, quæ de historia hujus Pharmacopœæ Batavæ ad lectores potissimum videntur pertinere.

Sunt insuper, quæ de ipso opere moneantur.

Primum, idque sane perdifficile, selectus fuit inter medicamenta, aliquando ad usum laudata, instituendus, quænam tanquam necessaria servanda, quænam ut supervacanea e catalogo forent eliminanda.

Vix enim est medicamentum, quod in officinis, quacumque etiam levi de causa, ac haud raro præter fidam

ex-

experientiam ſemel locum et aliquamobtinuit auctoritatem, quin reperiantur inter practicos, qui illius uſui adſueti, quamvis a majori collegarum numero penitus repudieter, illud ſancte ſervandum cenſeant.

Ita parum hic certe inter ſe conſentientes reperiuntur viri clariſſimi, ut multa ſint pharmaca, quæ hi laudent, alii plane rejicienda judicent.

Non ergo est, quod hic omnium deſiderio posſit ſatisfieri, quamvis omnes conſentiant, farraginem officinarum repurgatione opus habere. Alii, quicumque fiat ſelectus, nonnulla deleta, vel non recepta deſiderabunt medicamenta; alii nonnulla ex receptis rejicienda esſe putabunt. Quæ diuturno omnibusque approbantibus uſu confirmata ſunt, a nobis cuncta ſunt memorata; circa reliqua in ſeligendo moderatione fuimis uſi, et ſatius putavimus, ſervare inter medicamenta paulo plura, etiam ex his, quibus forte medici posſent carere, quam ſevera nimis cenſura iis, qui vetera et ſibi cognita amarent, moleſtiam creare. Aliquid dandum conſuetudini, aliquid dandum venerationis ſenſui, quo multi proavorum in hac re præcepta proſequuntur; aliquid dandum virorum, in arte celebrium, opinionibus, licet etiam præjudicatæ videantur, quum hæ longe efficacius accuratæ experientiæ et ratiocinii argumentis, quam legibus debellentur.

Quod ſi ceterum practici ſibi a nobis prætermisſa ad uſum desiderent, hæc moniti pharmacopolæ præſto habeant: quæ enim hujus Pharmacopœæ catalogo conti-

nentur, ex præſcripta lege in omni officina ſervanda ſunt, at alia non excluduntur.

Idem valet, quod attinet ad ſelectum a nobis inſtitutum de iis medicamentis, quæ in officinis minorum oppidorum et pagorum ſufficere poterunt.

Alterum idque ſummi momenti ſpectat ſtudia nostra, ut pro unoquoque medicamento componendo præparandi formula exhibereteur talis, qualis medicamentum, a variis et vario tempore paratum, indole, atque adeo virtute ſemper ſibi ſimile redderet, quæ porro ſeſe ſimplicitate, encheireſi faciliori, et, ſi fieri posſet, minori earum rerum, quibus conſiſtere debeat, pretio commendaret.

Nulla a nobis præparandi formula, vel auctoritate aliorum, vel opinione præjudicata recepta est, ſed quæ antea per experientiam ſeveram nobis ipſis erat probata. Omnium auctorum, quantum potuimus, præparandi medicamentorum ſingulorum formulas excusſimus, nec ratiocinando tantum, ſed experiundo, illas inter ſe contulimus, et tandem eam, quæ uſui maxime accommodata videretur, probavimus. Nec in ſola emendatione chemica acquievimus, ſed nullam receptæ formulæ mutationem propoſuimns, niſi ſollicito etiam ad ægrorum lectos examine nobis plane conſtaret de illius præ veteri præſtantia et efficacitate. Novæ etiam hinc, vel emendatæ a nobis præparationes natæ ſunt complures, non innovandi cupiditate, ſed ſolo, aut ægrotantium, aut pharmacopœorum commodo incitati. Hinc et multas re-

renovationes a variis chemicis propositas, et in aliarum regionum Dispensatoria receptas, non admisimus, utpote medicorum et chirurgorum experientia minus probatas. Non enim semper pari passu ambulant maxima remedii puritas, parandique ratio exquisita ad optimas chemiæ leges, et illius vis medicata. Sæpe in iis, quæ nobis exigui videntur esse momenti in remediorum præparatione, imo, quæ artis chemiæ præceptis parum congruunt, maximum situm est emolumentum in morborum curatione, licet nos illud ingenio assequi semper haud valeamus. Hinc et illa, quæ externam elegantiam, crystallorum exquisitam convenientiam et ordinem, colorem et alia hujus generis spectant, quibus imbecilli animi delectantur, parum curavimus, si virtutis, inde forte imminuendæ, vel minima nobis suboriretur suspicio.

Quam optimi ex recentioribus iisque probatissimis de re pharmaceutica auctores in technologia medicamentorum, ut plurimum compositorum, reformationem instituere inceperunt, hanc nos ulterius excolendam esse consultum duximus.

Non est multis, opinamur, probandum, nominum fallacia historiam rerum etiam medicinalium inconstantem atque incertam redditam esse, nec parvi pretii esse emolumentum, quod ex technologia, ad certa principia reformata, inde ab immortali LAVOISIERIO ad disciplinam chemicam redundaverit: aut esse minus spectabile inde proficiscens commodum pro disciplina pharmaceutica. Cum ergo in his omnes conveniant, quod che-

chemiæ Lavoiſierianæ principia ita ſint vindicata, et hæc adeo ſeſe omnibus approbaverint, ut paucisſimi, vel ſuperſint, vel videri velint ejus obtrectatores, nullum certe, ex uſu vel commodo aliquo petitum, argumentum videtur novorum nominum ad medicamenta chemica ſignificanda introductioni adverſari.

Nomina ergo medicamentis, quantum fieri potuit, appoſuimus, quæ chemiæ recentioris ſunt, ad ætatis et disciplinæ hodiernæ rationem accommodata, quibus indoles compoſitorum ſignificatur, ut, nomine intellecto quibusnam principiis compoſitum natum ſit, mox omnes periti intelligant.

Non est propterea, quod nominum a nobis adhibitorum hoc loco rationem exhibeamus, quippe quæ ex quovis probabili ſystemate chemico recentiore petenda est. Est tamen, ut hic nonnulla moneamus, quæ noſtræ technologiæ propria posſint videri, vel recedere a recepto denominandi more, ut pateat, qualescunque nostras emendationes in analogia univerſæ disciplinæ esſe poſitas, perſpicuitatis cauſa introductas, vel etiam recesſisſe a ſystematis denominandi ſevera lege, ut error in præſcribendis formulis magiſtralibus, facile ceterum committendus, evitetur, aut etiam breviori dictione medicamenti titulus comprehendatur. Haud enim levis momenti terminorum officinalium dos est brevitas, modo perſpicuitati non obſit.

Præcipui hujus generis termini ſequentes ſunt:

In

In denominandis compoſitionibus metallorum et oxygenii principii, quas olim calces metallicas dicebant, quæque in univerſum oxyda dicuntur, præclari inventi de duplici oxydationis gradu, præeuntibus probatioris notæ auctoribus, uſum etiam in rem nostram convertimus, vocantes metalla minimo gradu oxydata, ſeu oxyda imperfecta, incompleta, *oxydula*, ea autem, quæ gradu ſummo oxydata ſunt, oxyda completa, perfecta, *oxyda* ſimpliciter, hoc est, oxyda per excellentiam. Sic habemus oxydulum hydrargyri et oxydum hydrargyri, oxydulum ferri, oxydulum ſtanni et plumbi, oxydum zinci, oxydulum ſtibii et oxydum ſtibii, cet.

Neque hæc difficultatem habent. Ut vero hæc oxyda et oxydula ſeorſim exiſtunt, ita notum est, ambo compoſitiones ſalinas ingredi, unde alii ſales metallici cum oxydis proprie ita dictis fiunt, alii cum oxydulis. Ambo ſi ſerventur, perſpicuitati ſimul et brevitati nos videmur conſuluiſſe, adjiciendo medicamenti metallici titulo vocem *oxyduli* illi, quod oxydum incompletum continet, at prætermittendo vocem *oxydi*, quam ergo ſubintelligimus, ad ſalem proximum, cui baſis oxydum perfectum est. Sic Mercurium dulcem vulgo dictum, murias oxyduli hydrargyri, vel hydrargyri oxydulati dicimus, et Mercurium ſublimatum corroſivum ſimpliciter murias hydrargyri.

Quodſi autem unum ſit metallicum præparatum, quod metallum oxygenio junctum tenet, ſive hoc ejus metalli oxydum, ſive oxydulum fuerit, denominationem, gradum oxydationis exprimentem, prætermiſimus.

Sic

Sic dicimus ſulphas ferri, loco ſulphatis oxyduli ferri, nitras bismuthi, loco nitratis oxyduli bismuthi, cet.

Aliquando, perſpicuitatis et distinctionis cauſa, coloris adjecimus rationem, ut oxydulum ferri nigrum, oxydulum ferri fuscum, oxydulum ſtibii fuscum, oxydulum ſtibii griſeum et ita porro.

In nomenclatura ſalium ex acido carbonico compoſitorum denominationem carbonatis alcalini adhibuimus. Ratio hæc est. Jam diu est, quod chemici noverint, admittere ſales, neutros dictos, in compoſitione acidum abundans, quo novæ nascuntur proprietates, quique ſalis neutri aciduli vocantur, ut est ſulphas potasſæ acidulum, nitras potasſæ acidulum et in ſupellectile pharmaceutica tartris potasſæ acidula. Ita in aliis ſalibus neutris acidi et alcalini ea est proportio, ut qualitatibus illi ad ſales alcalinos accedant. His alcalinorum epitheton adjecimus; boracem, verbi cauſa, boratis ſodæ alcalini nomine indicavimus. Jam vero compertum habuimus, ut alibi pluribus docebitur, pari modo ad carbonata alcalina ita posſe accedere alcali ultra ſaturitatem, ut haud adhæreat liberum, ſed ut hoc ipſam carbonatum illorum compoſitonem ingrediatur, atque ita novum revera conſtituatur corpus. Talem compoſitionem carbonas alcalinum diximus, aliis, ſed minus accurate, incompletum, vel imperfectum nominatum, quum illius principia, licet alia proportione, nexu haud minus perfecto, et etiam arctiori et perfectiori ſint ſociata. Carbonatis denominationem ſervavimus

pro

pro carbonate completo, hoc est, pro sale perfecte neutro, seu plene saturato, constante alcali et acido carbonico. Ita occurrit carbonas potassæ alcalinum et carbonas potassæ; carbonas sodæ alcalinum et carbonas sodæ; carbonas ammoniæ alcalinum.

Minoris forte est momenti, sed tamen haud prætermittendum, in generum grammaticorum quorundam terminorum technicorum constitutione aliquam nos instituisse mutationem, vel potius illa ad genium linguæ, ad quam origine tenus pertinent, vel pertinere censentur, reduxisse.

Ita vocabula de acidis facta, quæ terminationem *as* recipiunt, a multis in genere masculino adhibita, ut sulphas, murias, carbonas, nitras cet. a nobis in neutro genere adhibentur. Illa autem, quæ similis originis in *is* desinunt, ut sulphis, tartris, nitris, generis fœminini sumuntur. Alcohol autem, non neutrius, sed masculini sumitur generis, cum vox sit idiomatis Arabici, in quo neutrius generis substantiva non occurrunt, et sic deinceps.

Quantumvis autem hanc tantopore commendabilem nomenclaturam, ad normam disciplinæ Lavoisierianæ institutam, ad usum pharmaceuticum non minus, quam chemicum aptissimam credimus, non tamen opinamur, illam mox ab omnibus receptum iri, vel etiam posse recipi. Qui enim medici practici, inde ex longa annorum consuetudine adsueti sunt quotidiano usui terminorum antiquorum, non facile eo poterunt perduci,

ci, ut antiquum morem dediscant. Certum tamen est, hæc nomina, quamvis lente, aliquando per ipsorum excellentiam in usum quotidianum ventura. Imo hoc præstat, quam ut leviter illi, qui hodierni systematis rationem haud penitus perspexerint, nomina antiqua cum novis permutent, sicque facile confundant, quæ valde dissimilia, ad sonum affinia videntur, ita quidem, ut errore forte ægris fatali, medicamentum propinandum possit admoveri longe aliud, quam quod ipsi dandum velint.

In horum clinicorum et pharmacopolarum, etiam chemiæ recentioris nondum forte satis peritorum, gratiam præter novum, indolem medicamenti indicantem, titulum, non tantum synonyma adjecimus præcipua, quibus in probatissimis pharmaceuticis codicibus designantur, verum etiam linea singulari nomen, quod in Pharmacopœis Belgicis inprimis triviale existit, atque usus notissimi.

Præter hæc synonyma usitatiora adjecimus illa ad singula medicamenta, qualia in quatuor Pharmacopœis præstantissimis, quæ merito usu præ reliquis inter nostrates invaluerunt, Edinburgensi videlicet, Londinensi, Amstelodamensi et Borussica occurrunt. Quoties hæc synonyma vel recedunt a medicamentorum titulo nostro primario, vel etiam triviali, toties illa litteris initialibus E. L. A. et B., indicavimus, ut quanam in Pharmacopœa unumquodque occurrat, inspicienti pateat.

No-

Nomenclaturam emendatam, ad composita medicamenta adhibitam, ad usum quoque vertimus ad corpora in Materia Pharmaceutica relata, vulgo simplicia dicta, quantum commode fieri potuit, hoc est, ad Corpora ex Regno Fossili desumenda, et nonnulla ex reliquis regnis præparanda. Vegetabilium autem nomina in officinis usitata, officinalia dicta, retinuimus, nec cum nominibus e systemate botanico desumendis permutavimus. Non enim par est mutationis instituendæ ratio. Nomen botanicum vix accuratius significat plantam, de qua agitur, quam id, quod usitatum est, multoque minus, vel quidpiam de ejusdem indole monstrat; accedit, quod multorum corporum vegetabilium, quæ in usus pharmaceuticos cesserunt, originem, cujusnam quippe plantæ sint, ignoremus. Satis hinc nos fecisse arbitramur, monentes, post nomen in officinis usitatum, nomen Botanicis solenne. Auctoris nomen si non adjiciatur, est illud Linnæanum, ceterum ex alio si fuerit desumptum, Botanici diserta sit mentio.

Unum superest ad chemicas præparationes propositas paucis monendum. Spectat ad apparatum a nobis variis locis commendatum, ubi agitur de colligendis fluidis, forma aëriformi sub operationibus prodeuntibus, qui inde ab aliquot annis chemiæ cultoribus usus familiaris evasit, a plerisque tamen pharmacopolis nostratibus in hunc usque diem negligitur. Ab inventore apparatus ille Woulffianus dicitur. Non possumus, quin serio iterumque hanc machinam commendemus,

potisſimum, ſi majori copia medicamenta, ad quæ illius uſum laudavimus, una operatione præparanda unt. Inveniuntur vero, qui illo apparatu non utuntur, cum difficilioris uſus illum credant; ſunt alii, illum negligentes propter pretium, quo lagenæ bicolles et tricolles, quibus componitur, conſtare putent; ſed uſus non est difficilis, niſi inexpertis, et pretio etiam exiguo parabilis. Sumantur v. g. lagenæ vulgares, viridi vel albo vitro confectæ, capacitatis pro colligendorum copia, ac foramine perforentur ſimplici vel duplici, juxta aperturam in collo; vitrei tubi, quales ad barometra conficienda adhibentur, in ſiphones flectantur, ejus menſuræ, ut foraminibus in lagenis factis proxime reſpondeant. Siphonibus, ſeu tubis inflexis lagenæ memoratæ jungantur, et prior excipulo vulgari apponatur, retortæ annexo, ac tubo intermedio, prioribus ſimili, fiat excipulum inter et illam priorem lagenam, atque per hanc inter reliquas vicinas liberum commercium; tandem luto ex emplastro adhæſivo juncturæ firmentur, atque ſic pro plerisque operationibus pharmaceuticis ſufficiens apparatus Woulffianus pharmacopœo erit, qualis exiguo conſtabit pretio. Luti indolem debere ſequi indolem humorum colligendorum, neminem latet. Quod ſi autem medicamenta minori tantum copia paranda ſint, quæ utiliter adhibito apparatu Woulffiano poſſe parari monuimus, poterunt etiam cum aliquo quidem, verum haud magni momenti, ſi caute chemicus proceſſerit, dispendio confici, ſi retortæ excipulum apponat ſolito majus,

lu-

lutumque ad commisſuram firmandam appoſitum, tenui foramine, pro lubitu claudendo, perforet, vel etiam, ſi excipulo utatur ſolito, ad ſupremam in bulbo partem foramine pertuſo, per quod tubus vitreus in ſiphonis formam inflexus altera extremitate tranſeat, dum altera ad lagenam ſingularem ducat, pro re nata claudendam, vel aperiundam.

Quæ tandem ad ipſam operis diviſionem pertinent, ea ex conſpectu præmisſo et contextu ipſo facile apparent.

Sectio prima, materiem pharmaceuticam complectens, cuncta recenſet corpora, ſive naturalia, ſive arte parata, quæ aliunde accipit pharmacopœus. Unicuique corpori talem adjecimus deſcriptionem, qualis ſufficere viſa fuit, ut in officinis præſentia corpora genuina agnoſcantur, et ab adulteratis diſtinguantur. Pasſim, ubi opus, ipſa illa corpora indicavimus, quibuscum uſitata, vulgo dicta uſualia, præſertim confunduntur.

Sectio ſecunda corpora, chemica encheireſi a pharmacopœo paranda, exhibet. Huc relatæ ſunt operationes, non tantum, quæ vulgo in Pharmacopœis Chemicæ dicuntur, et a Galenicis distingui ſolent, verum etiam multæ ex his postremis. Hoc nemo nobis vitio vertet, cogitans, non minus ſolutionem vegetabilem, extractum, ſyrupum, aut ſingularis principii vegeta-

bilis vel animalis ſeparationem ad operationes chemicas pertinere, hoc est, poſitam esſe in certa affinitatis lege principiorum horum corporum ad ſe invicem, et ad principia eorum, quæ ad eorundem confectionem adhibentur, quam præparationes illas, quæ olim unice præparationum chemicarum titulo venire ſolebant. Ceterum diviſionem hîc inſtituimus chemicæ disciplinæ ita innitentem, ut, niſi fallamur, ipſa pharmacopœis potisſimum tyronibus viam monſtret ad notitiam illius chemicæ disciplinæ theoriæ partem, qua pharmacopœi ſcientia nititur. In paucis, nonnihil a rigore ſystematico, ſi recesſerimus, id unice est factum, ut perſpicuitati conſuleremus, et ne penitus a ſe invicem ſepararentur, quæ proxime natura juncta ſunt.

Sectio tertia medicamenta compoſita complectitur, quæ nulla habita ratione efficaciæ chemicæ principiorum fiunt. Hoc loco ergo reliqua ita dicta Galenica præparata recenſentur, quorum uſus conſuetudine, opinione, vel auctoritate omnibus fere innotuit.

Illud tandem dicendum reſtat, nobis, quam primum hunc laborem ſuſcepimus, illud fuisſe propoſitum, ut Pharmacopœam Batavam emendaremus, et, quantum fieri posſet, ad ſummam perfectionem perduceremus; quare omnes et ſingulos artis chemicæ et pharmaceuticæ cultores, præſertim in patria nostra, rogatos volumus, ut nobiscum communicent, quæcunque ad-

com-

commune rei pharmaceuticæ commodum adjuvandum et amplificandum facere videantur.

Scripſimus menſe Decembri
Anni MDCCCII.
et menſe Majo
Anni MDCCCV.

SEBALDUS JUSTINUS BRUGMANS, *M. D. Medicinæ, Chemiæ, Botanices et Hist. Nat. in Academia Lugduno-Batava Profeſſor Ordinarius.*

PETRUS DRIESSEN, *M. D. Medicinæ, Chemiæ, Mater. Med. et Hist. Natural. Prof. Ordinarius in Academia Groningana.*

GERARDUS VROLIK, *M. D. Botan. Anat. Phyſiol. et Art. Obſtetr. Prof. in Athenæo Illuſtri Amſtelodamenſi, item Art. Obſtetr. Prof. in Noſocom. Clinico.*

JOHANNES RUDOLPHUS DEIMAN, *M. D. Amſtelodamenſis.*

Exemplum publica auctoritate editum.

H. A. Bake.

CONSPECTUS

PHARMACOPOEAE BATAVAE.

PROOEMIUM.

I. Ponderum cum usitatorum in Officinis nostris, tum novorum, in Gallia præsertim adhibitorum, ratio.

II. Hygrometrum, seu Areometrum Pharmaceuticum.

III. Reagentia præcipua, in Officinis paranda.

* SEC-

SECTIO PRIMA.

MATERIA PHARMACEUTICA.

Corpora ex Regno Fossili.

Acetis cupri.	Aerugo destillata, seu crystallisata.
† *Acetis plumbi.*	*Saccharum Saturni.*
† *Acidum nitricum.*	*Spiritus nitri vulgaris. Aqua fortis.*
† *Acidum sulphuricum.*	*Acidum vitriolicum, seu Oleum vitrioli.*
Argentum cupellatum.	
† *Argentum foliatum.*	
Aurum foliatum.	
Bismuthum.	
Bolus Armenia, seu rubra.	
† *Boras sodæ alcalinum.*	*Borax.*
Calx.	Calx viva.
Carbonas calcis nativum, pulverulentum.	Creta alba.
Cuprum.	Venus.
Ferrum.	Mars.

† *Hy-*

† *Hydrargyrum.*	*Argentum vivum, seu Mercurius.*
† *Murias ammoniæ.*	*Sal ammoniacus.*
† *Murias sodæ.*	*Sal communis, sal marinus, sal culinaris.*
† *Nitras potassæ.*	*Nitrum.*
† *Oxydulum arsenici album.*	*Arsenicum album.*
† *Oxydum cupri per acidum vegetabile.*	*Aerugo, seu viride æris.*
Oxydum ferri nativum.	Hæmatites lapis.
Oxydum cobalti cum terra silicea.	Smaltum.
Oxydum magnesii nigrum nativum.	Magnesia nigra.
† *Oxydum plumbi carbonatum per acidum acetosum.*	*Cerussa.*
† *Oxydum plumbi rubrum.*	*Minium.*
† *Oxydum plumbi semivitreum.*	*Lithargyrium, Lithargyrum, Lithargyrus.*
Oxydum zinci.	Nihil album, Pompholyx.
Oxydum zinci nativum, potissimum oxydo ferri inquinatum.	Calaminaris lapis.
† *Petroleum Barbadense.*	
Plumbum.	Saturnus.
Stannum.	Jupiter.
† *Succinum.*	*Ambra flava.*
† *Sulphas acidulum aluminæ.*	*Alumen crudum, seu vulgare.*
Sulphas barytæ.	Spathum ponderosum.

† *Sulphas cupri.*	*Vitriolum cœruleum, Veneneris, cupri, seu cyprium.*
† *Sulphas ferri.*	*Vitriolum viride, Martis, seu ferri.*
† *Sulphas magnesiæ.*	*Sal catharticus amarus, sal Anglicanus, sal Ebshamensis.*
† *Sulphas sodæ.*	*Sal mirabilis Glauberi, sal catharticus Glauberi.*
† *Sulphas zinci.*	*Vitriolum album, Vitriolum zinci.*
† *Sulphur.*	*Sulphur vulgare.*
† *Sulphuretum hydrargyri rubrum.*	*Cinnabaris factitia in massis.*
† *Sulphuretum stibii nativum.*	*Antimonium crudum.*
Zincum.	Zincum Indicum.

Corpora ex Regno Vegetabili.

Abrotanum, herba, summitates.	Artemisia Abrotanum *Botanicorum.*
† *Absinthium maritimum, herba, summitates.*	*Artemisia maritima.*
† *Absinthium vulgare, herba, summitates.*	*Artemisia Absinthium.*
† *Acetosa vulgaris, folia recentia.*	*Rumex Acetosa.*
Acetosella, herba recens.	Oxalis Acetosella.

† *Ace-*

† *Acetum vini.*	
Aconitum, herba.	Aconitum Cammarum?
† *Acorus, Calamus aromaticus, radix.*	*Acorus Calamus.*
Agaricus quernus.	Boletus igniarius.
Agrimonia, herba.	Agrimonia Eupatoria.
Allium, bulbus.	Allium sativum.
† *Aloë Succotrina, gummi-resina.*	*Aloë perfoliata.*
† *Althæa, radix, folia, flores.*	*Althæa officinalis.*
† *Ammoniacum gummi, gummi-resina.*	
† *Amygdalæ dulces et amaræ, nucleus.*	*Amygdalus communis.*
Anethum, semen.	Anethum graveolens.
Angelica, radix.	Angelica Archangelica.
Angustura, cortex.	Magnolia *Plumæri?* an vero Brucea antidysenterica, seu ferruginea?
† *Anisum, semen.*	*Pimpinella Anisum.*
† *Anisum stellatum, fructus.*	*Illicium anisatum.*
† *Arabicum gummi.*	*Mimosa nilotica.*
Aristolochia rotunda, radix.	Aristolochia rotunda.
Armoracia, Raphanus rusticanus, radix recens.	Cochlearia Armoracia.
† *Arnica, radix, flores.*	*Arnica montana.*
Arum, radix recens.	Arum maculatum.
† *Asa foetida, gummi-resina.*	*Ferula Asa foetida.*

Asarum, radix, folia.	Asarum europæum.
† *Aurantium Curassavicum et Hispalense, folia et flores, nondum aperti, recentes; fructus immaturi; fructus corticis exterior pars siccata, vel recens, flavedo.*	*Citrus Aurantium.*
† *Avena, semen.*	*Avena sativa.*
† *Bardana, radix.*	*Arctium Lappa.*
Basilicum, herba.	Ocymum Basilicum.
Beccabunga, herba virens.	Veronica Beccabunga.
Belladonna, radix, folia.	Atropa Belladonna.
Benzoë, seu Gummi Benzoës, seu Asa dulcis, resina.	Styrax Benzoë *Dryanderi.*
Betula, folia tenerrima.	Betula alba.
Bistorta, radix.	Polygonum Bistorta.
† *Bovista.*	*Lycoperdon Bovista.*
Brittanica herba, sive Hydrolapathum, radix.	Rumex aquaticus.
† *Bryonia, radix.*	*Bryonia alba, vel diœca* Jacq.
Cacao, fructus.	Theobroma Cacao.
† *Cajeput, oleum.*	*Melaleuca Leucadendra.*
† *Calamus aromaticus, vid. Acorus.*	
† *Campechense lignum.*	*Hæmatoxylon campechianum.*
† *Camphora.*	*Laurus Camphora.*

Ca-

Canella alba, cortex internus.	Canella alba.
Cannabis, ſemen.	Cannabis ſativa.
Carbonas potasſæ venale.	Cineres clavellati, Alcali vegetabile.
Carbonas ſodæ venale.	Soda, Natrum.
Cardamomum minus, ſemen.	Amomum Cardamomum.
† *Carduus benedictus, herba, ſummitates.*	*Centaurea benedicta.*
† *Carica, fructus ſiccati.*	*Ficus Carica.*
Carui ſemen.	Carum Carui.
† *Caryophyllata, radix.*	*Geum urbanum.*
‡ *Caryophyllus aromaticus, flores non aperti, ſiccati, oleum.*	*Caryophyllus aromaticus, ſive Eugenia caryophyllata* Thunbergii.
† *Cascarilla, cortex.*	*Croton Cascarilla.*
Casſia fistularis, fructus.	Casſia fistula.
† *Catechu, vulgo Terra Japonica, extraçtum gummi-reſinoſum.*	*Mimoſa Çatechu.*
† *Centaurium minus, ſummitates florentes.*	*Gentiana Centaurium, ſeu Chironia Centaurium* Curtis.
Cepa, bulbus recens.	Allium Cepa.
Cerefolium, herba recens.	Scandix Cerefolium.
Chamædrys, herba florens.	Teucrium Chamædrys.
† *Chamæmelum Romanum, flores.*	*Anthemis nobilis.*
† *Chamæmelum vulgare, flores.*	*Matricaria Chamomilla.*

Chamæpitys, herba florens.	Teucrium Chamæpitys.
Chelidonium majus, herba recens.	Chelidonium majus.
China, radix.	Smilax China.
† *China China, cortex Peruvianus fuscus.*	*Cinchona officinalis.*
China China, cortex Peruvianus regius, seu flavus.	Cinchonæ species, nondum definita.
† *China China, cortex Peruvianus ruber.*	*Cinchonæ species, nondum definita.*
† *Cichoreum radix, herba recens.*	*Cichoreum Intybus.*
† *Cicuta, herba.*	*Conium maculatum.*
† *Cinnamomum Ceylonense, cortex, oleum.*	*Laurus Cinnamomum.*
† *Citrus, fructus, horumque corticis pars exterior, recens et sicca.*	*Citrus medica.*
† *Cochlearia, herba recens.*	*Cochlearia officinalis.*
Colchicum, radix recens.	Colchicum autumnale.
† *Colocynthis, fructus.*	*Cucumis Colocynthis.*
† *Colophonium, resina.*	*Pinus sylvestris.*
Columbo, radix.	an Bryoniæ species?
Consolida major, Symphytum, radix.	Symphytum officinale.
Contrajerva, radix.	Dorstenia Contrajerva.
† *Copaïxæ balsamum, balsamum.*	*Copaïfera officinalis.*

Co-

Coriandrum, ſemen.	Coriandrum ſativum.
† *Crocus, florum ſtigmata.*	*Crocus ſativus, var. autumnalis, ſeu Crocus autumnalis* Hoffmanni.
† *Cryſtalli tartari, qui, in pulverem redacti, Cremor tartari dicuntur.*	*Tartris acidula potasſæ.*
Cubeba, fructus.	Piper Cubeba, ſive Piper caudatum *Bergii.*
Cucumis, ſemen.	Cucumis ſativus.
Culilawan, cortex, oleum.	Laurus Culilaban.
† *Cuminum, ſemen.*	*Cuminum Cyminum.*
Curcuma, radix.	Amomum Curcuma *Jacquini.*
† *Cydonia mala, ſemen.*	*Pirus Cydonia.*
Daucus ſylveſtris, ſemen.	Daucus Carota.
Dictamnus, radix.	Dictamnus alba.
Digitalis, folia.	Digitalis purpurea.
† *Draconis Sanguis, reſina.*	*Calamus Draco.*
Dulcamara, ſtipites.	Solanum Dulcamara.
Elemi, reſina.	Amyris Elemifera.
† *Enula, vid. Helenium.*	
† *Eryngium, radix.*	*Eryngium campeſtre.*
Euphorbium, gummi-reſina.	Euphorbia officinarum.
† *Filix mas, radix.*	*Polypodium Filix mas.*
Flammula Jovis, folia, flores.	Clematis erecta.
Foeniculum, radix, ſemen.	Anethum Fœniculum.

† *Fœnum Græcum, ſemen.*	*Trigonella Fœnum Græcum.*
Fraxinus, cortex.	Fraxinus excelſior.
Fumaria, herba recens.	Fumaria officinalis.
Galanga minor, radix.	Maranta Galanga, ſive Alpinia Galanga *Swartzii.*
† *Galbanum, gummi-reſina.*	*Bubon Galbanum.*
† *Gallæ quercinæ.*	*Quercus Cerris.*
† *Gambogia, Gummi Guttæ, gummi-reſina.*	*Stalagmites Cambogioïdes* Murrayi, *ſeu Guttæfera vera* Koenigii.
Genista, ſummitates.	Spartium ſcoparium.
† *Gentiana rubra, radix.*	*Gentiana lutea.*
Geoffroya Jamaïcenſis, cortex.	Geoffroya jamaïcenſis, ſeu Geoffroya inermis *Wrigthii.*
Geoffroya Surinamenſis, cortex.	Geoffroya ſurinamenſis, ſeu Geoffroya inermis *Swartzii.*
† *Glycyrrhiza, Liquiritia, radix, ſuccus ſive extractum.*	*Glycyrrhiza glabra, et Glycyrrhiza echinata.*
† *Gramen, radix.*	*Triticum repens.*
Grana Paradiſi, ſemen.	Amomum Granum Paradiſi.
Granatum, cortex fructus, flores, balauſtiorum dicti.	Punica Granatum.
Gratiola, herba, radix.	Gratiola officinalis.
† *Guajacum, lignum, cortex, gummi-reſina.*	*Guajacum officinale.*

He-

† *Hedera terrestris, herba.*	*Glechoma hederacea.*
† *Helenium, Enula, radix.*	*Inula Helenium.*
Helleborus albus, Veratrum, radix.	Veratrum album.
Helleborus niger, Melampodium, radix.	Helleborus niger.
Hippocastanum, cortex.	Æsculus Hippocastanum.
Hordeum, ſemen crudum, mundatum et perlatum, maltum.	Hordeum vulgare.
† *Hyoscyamus, folia recentia, ſemen.*	*Hyoscyamus niger.*
Hypericum, ſummitates florentes.	Hypericum perforatum.
† *Hyſſopus, herba.*	*Hyſſopus officinalis.*
† *Jalappa, radix.*	*Convolvulus Jalapa?*
Imperatoria, radix.	Imperatoria Ostruthium.
† *Indicum balſamum, vid. Peruvianum balſamum.*	
† *Ipecacuanha, radix.*	*Pſychotria emetica?*
† *Iris florentina, radix.*	*Iris florentina.*
Juniperus, lignum, baccæ.	Juniperus communis.
Kino, ſeu Gummi Kino, ſeu Gummi Gambienſe, ſuccus induratus.	
Ladanum Gummi, ſeu Labdanum, reſina.	Cistus creticus.
Lapathum acutum, Oxylapathum, radix.	Rumex acutus.

Lau-

Laurocerasus, folia recentia.	Prunus Laurocerasus.
† *Laurus, folia, baccæ, oleum, laurinum dictum.*	*Laurus nobilis.*
Lavendula, spicæ florentes.	Lavendula Spica.
Levisticum, radix.	Ligusticum Levisticum.
† *Lichen Islandicus, tota planta.*	*Lichen islandicus.*
Lilium album, bulbus, petala recentia.	Lilium candidum.
† *Linum, semen, farina, oleum.*	*Linum usitatissimum.*
Lopeziana, radix.	Morus indica?
Lycopodium, semen.	Lycopodium clavatum.
Macis, oleum.	Myristica moschata.
Majorana, herba.	Origanum Majorana.
† *Malva, folia, flores.*	*Malva sylvestris, et rotundifolia.*
† *Manna.*	*Fraxinus rotundifolia* Mill., *et Fraxinus Ornus* Linn.
Marrubium album, herba.	Marrubium vulgare.
Marum Syriacum, herba.	Teucrium Marum.
† *Mastiche, resina.*	*Pistacia Lentiscus.*
Matricaria, herba, summitates florentes.	Matricaria Parthenium.
Mechoacanna, radix.	Convolvulus Mechoacanna.
Melilotus, summitates florentes.	Trifolium Melilotus officinalis, var. floribus citrinis.

Me-

Melissa, herba.	Melissa officinalis.
Melo, semen.	Cucumis Melo.
† *Mentha crispa, herba.*	*Mentha crispa.*
† *Mentha piperitis, herba.*	*Mentha piperita.*
Mesembryanthemum crystallinum, herba recens.	Mesembryanthemum crystallinum.
† *Mezereum, cortex, Garou dictus.*	*Daphne Mezereum, et Daphne Laureola.*
† *Millefolium, folia, summitates florentes.*	*Achillea Millefolium.*
† *Moschata, nucleus, ejus involucrum, Macis dictum, et oleum, quod oleum Moschatæ vel Nucistæ dicunt.*	*Myristica moschata, vel aromatica* Thunb., *officinalis* Jacq.
† *Myrrha, gummi-resina.*	*an Mimosæ species?*
Nasturtium aquaticum, herba recens.	Sisymbrium Nasturtium.
Nepeta, herba.	Nepeta Cataria.
† *Nicotiana, folia.*	*Nicotiana Tabacum.*
† *Nux Vomica.*	*Strychnos Nux vomica.*
† *Olibanum, Thus, resina.*	*Juniperus Lycia, et Juniperus thurifera.*
† *Olivarum oleum.*	*Olea europæa.*
† *Opium, gummi-resina.*	*Papaver somniferum.*
† *Opopanax, gummi-resina.*	*Pastinaca Opopanax.*
Origanum, herba florens.	Origanum vulgare.
Oryza, semen decorticatum.	Oryza sativa.
Oxalas acidulum potassæ.	Acetosellæ sal.

† *Pa-*

† *Papaver album, capita, ſemen.*	*Papaver ſomniferum.*
† *Papaver erraticum, Rhœas, florum petala.*	*Papaver Rhœas.*
Pasſulæ majores.	Vitis vinifera.
Pasſulæ minores.	Vitis Apyrena.
Pastinaca ſativa, ſemen.	Pastinaca ſativa.
Pechurim, faba.	
Peruvianum balſamum, ſeu Indicum nigrum, balſamum.	Myroxylon peruiferum.
Petroſelinum, radix, herba, recentes, ſemen.	Apium Petroſelinum.
† *Phellandrium, ſeu Fœniculum aquaticum, ſemen.*	*Phellandrium aquaticum.*
Pimenta, fructus.	Myrtus Pimenta.
† *Piper album, fructus.*	*Piper nigrum.*
† *Piper Hiſpanicum ſeu Indicum, fructus.*	*Capſicum annuum.*
† *Pix ſolida et liquida.*	*Pinus Abies et ſylvestris.*
Plantago, folia virentia.	Plantago major.
Polygala amara, radix.	Polygala amara.
Populus, oculi ſeu gemmæ.	Populus nigra.
† *Prunus, fructus ſiccatus.*	*Prunus domestica.*
Pſyllium, ſemen.	Plantago Pſyllium.
Pulegium, herba florens.	Mentha Pulegium.

Pul-

Pulſatilla nigricans, herba florens.	Anemone pratenſis.
Pyrethrum, radix.	Anthemis Pyrethrum.
† *Quasſia, lignum.*	*Quasſia amara* Linn., *excelſa* Pharmac. Borusſ.
† *Quercus, cortex.*	*Quercus robur.*
† *Reſina communis.*	*Pinus ſylvestris.*
Reſina lutea novi Belgii.	
Reſina Pini.	Pinus Abies.
† *Rhabarbarum, Rheum, radix.*	*Rhei ſpecies dubia.*
Rhodium, lignum.	Genista canarienſis.
Ribes nigrum, baccæ recentes.	Ribes nigrum.
Ribes rubrum, baccæ recentes.	Ribes rubrum.
† *Ricinusvulgaris, ſeu Cataputia major, ſemen, oleum.*	*Ricinus communis.*
Roſa pallida, florum nondum plene apertorum petala recentia et ſicca.	Roſa centifolia.
† *Roſa rubra, florum nondum plene apertorum petala recentia et ſicca.*	*Roſa gallica.*
Rosmarinus, ſpicæ florentes.	Rosmarinus officinalis.
† *Rubia tinctorum, radix.*	*Rubia tinctorum.*
Rubus Idæus, fructus recens.	Rubus idæus.

† *Ru-*

† *Ruta, herba.*	*Ruta graveolens.*
† *Sabadilla, semen.*	*Veratrum Sabadilla* Retzii.
† *Saccharum candum et album.*	*Saccharum officinarum.*
Sagapenum, gummi resina.	an Ferulæ species?
Sagu, vel Sago.	Sagus, seu Palma farinaria *Rumphii*, aliæque?
† *Salep, radix.*	*Orchis mascula, et aliæ species.*
† *Salix alba et laurea, ramorum biennium et triennium cortex.*	*Salix alba et petandra.*
† *Salvia, folia.*	*Salvia officinalis.*
† *Sambucus, cortex interior sive medius, flores, baccæ recentes.*	*Sambucus nigra.*
Sandaraca, resina.	Juniperus communis, et Juniperus Oxycedrus.
Santalum citrinum, lignum.	Santalum album.
Santalum rubrum, lignum.	Pterocarpus santalinus.
Santonicum, semen.	Artemisia Contra, et Artemisia judaïca.
† *Sapo Alicantinus. Sapo Hispanicus albus.*	*Sapo albus.*
† *Saponaria, radix, herba.*	*Saponaria officinalis.*

† *Sar-*

† *Sarſaparilla, radix.*	*Smilax Sarſaparilla.*
† *Sasſafras, lignum cum cortice.*	*Laurus Sasſafras.*
Satureja, herba.	Satureja hortenſis.
† *Scammonium Aleppenſe, gummi-reſina.*	*Convolvulus Scammonia.*
† *Scilla, bulbus.*	*Scilla maritima.*
† *Scordium, herba.*	*Teucrium Scordium.*
Sedum acre, herba recens.	Sedum acre.
Sedum majus, folia recentia.	Sempervivum tectorum.
Senega, radix.	Polygala Senega.
† *Senna, folia.*	*Casſia Senna.*
† *Serpentaria Virginiana, radix.*	*Aristolochia Serpentaria.*
† *Serpyllum, ſummitates florentes.*	*Thymus Serpyllum.*
Simaruba, cortex.	Quasſia Simaruba.
† *Sinapi, ſemen.*	*Sinapis nigra.*
Spigelia, radix, herba cum radice.	Spigelia marilandica, et Spigelia Anthelmia.
† *Spiritus frumenti.*	
† *Spiritus juniperi.*	
† *Spiritus vini.*	
† *Spiritus vini fortior.*	
† *Staphisagria, ſemen.*	*Delphinium Staphiſagria.*
Stramonium, herba recens.	Datura Stramonium.
Styrax in masſis, reſina.	Styrax officinalis.
Styrax liquida, balſamum.	Liquidambar ſtyraciflua.
Tacamahaca, reſina.	Fagara octandra.

† *Tamarindus, fructus.*	*Tamarindus Indica.*
Tamariscus, cortex.	Tamarix gallica.
Tanacetum, herba, flores.	Tanacetum vulgare.
† *Taraxacum, herba, radix, eæque recentes.*	*Leontodon Taraxacum.*
† *Tartarus albus et ruber.*	
† *Terebinthina laricina, seu Veneta, balsamum.*	*Pinus Larix.*
† *Terebinthina, oleum.*	*Pinus sylvestris, et Abies.*
Thus, vid. Olibanum.	
† *Thymus, herba florens.*	*Thymus vulgaris.*
Tolutanum balsamum, balsamum.	Toluïfera Balsamum.
† *Tormentilla, radix.*	*Tormentilla erecta.*
† *Tragacantha, gummi.*	*Astragalus Tragacantha* Linn. *Astragalus creticus* Lamarck.
† *Trifolium aquaticum, sive fibrinum, herba recens.*	*Menyanthes trifoliata.*
† *Triticum, amylum, farina.*	*Triticum hybernum, et Triticum æstivum.*
Tussilago, folia.	Tussilago Farfara.
Ulmus, cortex interior.	Ulmus campestris.
Uva ursi, folia.	Arbutus Uva ursi.
† *Valeriana sylvestris, radix.*	*Valeriana officinalis.*
Verbascum, folia.	Verbascum Thapsus.
Veronica, herba.	Veronica officinalis.
Vincetoxicum, radix.	Asclepias Vincetoxicum.

† *Vi-*

† *Vinum album, Hispanicum et Rhenanum, bonæ notæ.*	*Vitis vinifera.*
Viola, florum petala.	Viola odorata.
† *Viola tricolor, herba.*	*Viola tricolor.*
Winteranus cortex.	Wintera aromatica.
Zedoaria, radix.	Kaempferia rotunda, seu Amomum Zedoaria *Bergii.*
† *Zingiber, radix.*	*Amomum Zingiber.*

Corpora ex Regno Animali.

Ambra grisea, seu Ambra vera.	
† *Axungia Porci.*	
Bezoar orientalis.	Antilope Oryx, et præsertim Capra Aegagrus.
† *Butyrum insulsum.*	
Cancrorum chelæ.	Cancer Pagurus.
Cancrorum lapides, vulgo Cancrorum oculi.	Cancer Astacus.
† *Cantharides, seu Muscæ Hispanicæ.*	*Meloë vesicatorius, seu Lytta vesicatoria* Fabricii.
Castoreum Siberinum, seu Rusficum.	
† *Cera flava et alba.*	*Apis mellifica.*
Coccionella.	Coccus Cacti.
Cornu Cervi.	Cervus Elaphus.
† *Fel bovinum.*	*Bos Taurus domesticus.*

† *Ichthyocolla, colla piscium.*	
† *Mel album, et Mel commune.*	*Apis mellifica.*
Millepedæ.	Oniscus Asellus.
Moschus Tunquinensis.	Moschus moschiferus.
Phosphorus.	
† *Sevum ovillum.*	*Ovis Aries.*
Sperma Ceti.	
† *Spongia marina.*	

Regulæ pro colligendis, ad usum parandis, et servandis Corporibus, in Materia Pharmaceutica enumeratis.

SEC-

SECTIO SECUNDA.

CORPORA CHEMICA ENCHEIRESI A PHARMACOPOEO PARANDA.

CORPORA COMBUSTIBILIA ET E COMBUSTIBILIBUS PRAEPARATA.

Corpora Combustibilia.

† *Sulphur depuratum.* *Flores ſulphuris loti.*
Carbo vegetabilis.
Posphorus depuratus.

Corpora e Combustibilibus præparata.

Aqua hydro-ſulphurata.
Aqua hydro-ſulphurata acidula.
Aqua hepatica.
Aqua hepatica acidula. Liquor probatorius Hahnemanni.

Corporis Combustibilis Oxydum.

† *Aqua depurata.*	*Aqua deſtillata ſimplex.*

SALIA ET E SALIBUS PRAEPARATA.

Acida.

Acidum ſulphuroſum.	Acidum ſulphuris volatile. Spiritus ſulphuris.
† *Acidum ſulphuricum depuratum.*	*Acidum, ſeu oleum vitrioli concentratum, depuratum.*
Acidum ſulphuricum purum.	Acidum vitrioli concentratum, rectificatum. Oleum vitrioli purum.
† *Acidum ſulphuricum dilutum.*	*Acidum vitriolicum dilutum. Spiritus vitrioli.*
Acidum nitroſum.	Acidum nitri fumans. Spiritus nitri fumans Glauberi.
† *Acidum nitricum.*	*Acidum nitri. Spiritus nitri acidus.*
† *Acidum muriaticum.*	*Spiritus ſalis acidus. Spiritus ſalis fumans.*
Acidum muriaticum dilutum.	Spiritus ſalis marini vulgaris. Spiritus ſalis acidus dilutus.
Acidum muriaticum oxygenatum.	Spiritus ſalis marini dephlogisticatus.
Acidum nitro-muriaticum.	Aqua regia.

Aci-

Acidum boracicum.	Acidum boracis. Sal ſedativus Hombergii.
† *Acidum acetoſum.*	*Acidum aceti. Acetum deſtillatum.*
Acidum aceticum.	Acetum radicale.
Acidum tartaroſum.	Acidum tartari. Sal eſſentialis acidus tartari.
Acidum benzoïcum.	Acidum benzoës. Flores benzoës.
Acidum ſuccinicum.	Sal ſuccini.
Acidum phosphoricum.	Acidum phosphori.

Alcalia Salina.

† *Potaſſa liquida.*	*Lixivum cauſticum et ſaponariorum.*
Potaſſa fuſa.	Lapis cauſticus.
† *Ammonia liquida.*	*Spiritus ſalis ammoniaci cum calce viva.*

Alcalia Terrestria.

Calx.	Calx viva.
† *Aqua Calcis.*	
Magneſia.	Magneſia pura, ſeu usta. Magneſia calcinata.

Acida et Alcalia Salina.

† *Carbonas potaſſæ alcalinum.*	Cineres clavellati depurati.

Carbonas potassæ.	Potassa aërata.
† *Carbonas sodæ alcalinum.*	*Crystalli sodæ. Sal sodæ. Alcali minerale.*
Carbonas sodæ.	Soda aërata.
† *Carbonas ammoniæ alcalinum solidum.*	*Alcali volatile siccum.*
† *Carbonas ammoniæ alcalinum liquidum.*	*Spiritus salis ammoniaci cum cineribus clavellatis.*
Carbonas ammoniæ pyro-animale.	Sal cornu cervi.
† *Carbonas ammoniæ pyro-animale liquidum.*	*Spiritus cornu cervi.*
† *Sulphas potassæ.*	*Tartarus vitriolatus. Arcanum duplicatum.*
Sulphas potassæ sulphurosum.	Sal polychrestus.
† *Sulphas sodæ.*	*Sal mirabilis Glauberi.*
† *Nitras potassæ depuratum.*	*Nitrum depuratum.*
Murias sodæ depuratum.	Sal culinare depuratum.
Murias sodæ exsiccatum.	Sal culinare decrepitatum.
† *Murias ammoniæ depuratum.*	*Sal ammoniacum depuratum.*
Acetis potassæ.	Terra foliata tartari.
† *Acetis potassæ liquida.*	*Liquor terræ foliatæ tartari.*
Acetis sodæ.	Terra foliata tartari crystallisabilis.
† *Acetis ammoniæ liquida.*	*Spiritus Mindereri.*
Tartris potassæ.	Tartarus tartarisatus.
† *Tartris potassæ acidula, depurata.*	*Cremor tartari depuratus. Crystalli tartari.*
† *Tartris potassæ et sodæ.*	*Sal Seignetti.*
Phophas sodæ.	Soda phosphorata.

Aci-

Acida et Alcalia Terrestria.

Carbonas calcis depuratum.	Creta alba præparata.
† *Carbonas magnesiæ alcalinum.*	*Magnesia alba.*
† *Sulphas magnesiæ depuratum.*	*Sal Ebshamense, seu catharticum amarum, depuratum.*
† *Sulphas aluminæ aciduluum, exsiccatum.*	*Alumen ustum.*
Murias calcis.	Sal ammoniacum fixum. Calx salita.
Murias barytæ.	Terra ponderosa salita.
Phosphas calcis.	Terra ossium. Cornu cervi ustum.

Alcalia et Sulphur.

Sulphuretum ammoniæ.	Hepar sulphuris volatile. Spiritus fumans Beguini.
Sulphuretum calcis.	Hepar sulphuris calcareum

METALLA ET E METALLIS PRAEPARATA.

Argentum.

Nitras argenti.	Cryſtalli Lunæ.
† *Nitras argenti fuſum.*	*Lapis infernalis.*

Hydrargyrum.

Oxydulum hydrargyri nigrum.	Hydrargyrum oxydulatum nigrum.
Oxydulum hydrargyri Hahnemanni.	Mercurius ſolubilis Hahnemanni.
† *Oxydum hydrargyri nitratum.*	*Mercurius corroſivus ruber. Mercurius præcipitatus ruber.*
† *Oxydum hydrargyri.*	*Oxydum hydrargyri completum, loco Mercurii præcipitati per ſe.*
Sulphuretum hydrargyri nigrum.	Aethiops mineralis.
Nitras hydrargyri liquidum.	Mercurius nitratus.
† *Murias hydrargyri.*	*Mercurius ſublimatus corroſivus.*

† *Mu-*

† *Murias hydrargyri oxydulati.*	*Mercurius dulcis, sive Calomelas.*
Acetis hydrargyri.	Mercurius aceticus.
Tartris hydrargyri.	Mercurius tartarisatus.
Nitras hydrargyro-ammoniacale.	Hydrargyrus præcipitatus cinereus.
Murias hydrargyro-ammoniacale.	Mercurius præcipitatus albus.
Murias hydrargyro-ammoniacale acerrimum.	

Cuprum.

† *Sulphas cupri.*	*Vitriolum cupri.*
Sulphas cupro-ammoniacale.	Cuprum ammoniacum.

Ferrum.

† *Ferrum pulveratum.*	*Limatura ferri præparata, seu purificata.*
† *Oxydulum ferri nigrum.*	*Aethiops martialis.*
Oxydulum ferri fuscum.	Crocus Martis.
Sulphuretum ferri.	Pyrites ferri artificialis.

† *Sul-*

† *Sulphas ferri.*	*Sal Martis. Vitriolum Martis.*
Sulphas ferri ſiccatum.	Vitriolum ad albedinem calcinatum.
Sulphas ferri calcinatum.	Colcothar vitrioli.
Murias ferri.	Ferrum ſalitum.
Murias ferri liquidum.	Tinctura Martis ſalita.
Solutio muriatis ferri compoſita.	Liquor ſtipticus.
† *Murias ferro-ammoniacale.*	*Flores ſalis ammoniaci martiales.*
Tinctura ferri tartariſata.	Tinctura Martis aperiens.
Tinctura ferri cydoniata.	Tinctura Martis cydoniata.
Alcohol ſulphurico-æthereus ferri.	Tinctura nervina Bestuſcheffii.

Stannum.

Oxydulum ſtanni.	Pulvis ſtanni. Stannum philoſophice præparatum.

Plumbum.

Oxydulum plumbi.	Plumbum ustum.
† *Acetis plumbi liquida.*	*Acetum plumbi, ſeu Acetum lithargyrii.*

† *Ace-*

† *Acetis plumbi liquida, concentrata.*	*Acetum plumbi concentratum, ſive Extractum Saturni.*

Zincum.

Oxydum zinci nativum, pulveratum.	Lapis calaminaris præparatus.
† *Oxydum zinci.*	*Flores zinci.*
† *Sulphas zinci.*	*Vitriolum album.*

Stibium.

† *Oxydulum ſtibii fuscum.*	*Crocus antimonii et metallorum.*
Oxydulum ſtibii griſeum.	Pulvis Algarotti.
† *Oxydum ſtibii non ablutum.*	*Antimonium diaphoreticum non ablutum.*
† *Oxydum ſtibii.*	*Antimonium diaphoreticum ablutum.*
Oxydulum ſtibii vitreum.	Vitrum antimonii ſeu ſtibii.
† *Vinum ſtibiatum.*	*Vinum antimoniale Huxhami.*
† *Sulphuretum oxyduli ſtibii hydrogenatum.*	*Sulphur auratum antimonii.*

† *Hy-*

† *Hydro-ſulphuretum oxyduli ſtibii.*	*Kermes minerale.*
Sulphuretum calcis ſtibiatum.	Calx antimonii cum ſulphure.
Sulphuretum hydrargyri et ſtibii.	Aethiops antimonialis.
† *Murias ſtibii.*	*Butyrum antimonii, ſeu Cauſticum antimoniale.*
† *Tartris potasſæ ſtibiata.*	*Tartarus emeticus.*

Bismuthum.

Nitras bismuthi.	Magisterium bismuthi.

VEGETABILIA INTEGRA.

Vegetabilia Integra et Saccharum.

Conſervæ.

REGULÆ PRO PARANDIS CONSERVIS.

Conſerva Abſinthii.
Conſerva Menthæ piperitidis.
Conſerva Rorismarini.
† *Conſerva Roſarum rubrarum.*
Conſerva Cochleariæ.

SO-

SOLUTIONES PLURIUM PRINCIPIORUM ORGANICAE ORIGINIS.

Solutiones de Vegetabilibus Aquosæ Liquidæ.

Infusa et Decocta.

REGULÆ PRO PARANDIS INFUSIS ET DECOCTIS.

† *Decoctum Corticis Peruviani fusci.*

† *Decoctum Corticis Peruviani rubri.*

Decoctum Hordei decorticati.

† *Decoctum Hordei integri.* *Aqua hordei.*

Solutiones de Vegetabilibus Aquosæ Inspissatæ.

Extracta.

REGULÆ PRO PARANDIS EXTRACTIS.

I. EXTRACTA PER INFUSIONEM VEL DECOCTIONEM.

† *Extractum Absinthii.*

† *Ex-*

† *Extractum Centaurei minoris.*
† *Extractum Chamæmeli.*
Extractum Cochleariæ.
† *Extractum Taraxaci.*
Extractum Aloës. Extractum Aloës aquosum.
Extractum Angusturæ. Extractum Corticis Angusturæ
Extractum Bardanæ.
Extractum Cascarillæ.
Extractum Dulcamaræ.
† *Extractum Gentianæ.*
Extractum Geoffroyæ.
† *Extractum Graminis.*
† *Extractum Helenii.*
Extractum Hellebori nigri.
Extractum Salicis albæ.
Extractum Sarsaparillæ.
† *Extractum Tormentillæ.*
Extractum Valerianæ.
† *Extractum Corticis Peruviani fusci.*
† *Extractum Corticis Peruviani rubri.*
† *Extractum Liquiritiæ.* *Succus Liquiritiæ depuratus.*
Extractum Opii. Extractum Opii gummosum.
Pulpa Casiæ.
Pulpa Tamarindorum.

2. EX-

2. EXTRACTA PER EXPRESSIONEM.

Extractum Aconiti.
Extractum Atropæ Belladonnæ.
Extractum Chelidonii majoris.
† *Extractum Cicutæ.*
Extractum Stramonii.
Extractum Fumariæ.
Extractum Hyoscyami.
Extractum Trifolii aquatici.

Solutiones de Vegetabilibus Aquosae et Saccharum Fluidae.

Syrupi.

REGULÆ PRO PARANDIS SYRUPIS.

† *Syrupus Althææ.*
Syrupus Cinnamomi.
† *Syrupus Corticum Aurantiorum.*
Syrupus Menthæ crispæ.
Syrupus Menthæ piperitidis.
Syrupus Corticis Peruviani fusci.

***

Sy-

Syrupus Corticis Peruviani rubri.
Syrupus Cydoniorum.
Syrupus Papaveris albi.
Syrupus Papaveris Rhœados.
† *Syrupus Rhei.*
† *Syrupus Rubi Idæi.*
Syrupus Succi Citri.
Syrupus Sennæ.
† *Syrupus simplex.*
† *Syrupus Violarum.*
Syrupus Zingiberis.

Solutiones Aquosae et Saccharum Inspissatae.

Rob et Gelatinæ.

REGULÆ PRO PARANDO ROB.

† *Rob Juniperi.*
Rob Ribesiorum nigrorum.
Rob Ribesiorum rubrorum.
† *Rob Sambuci.*
Gelatina Cornu Cervi.
Gelatina Lichenis Islandici.

Solutio Aquosa et Mel.

Mel Medicatum.

Mel Rosarum.

Solutiones Acetosae.

Aceta Infusa.

Acetum aromaticum. Acetum antisepticum.
Acetum Colchici.
† *Acetum Scillæ.* *Acetum scilliticum.*

Solutiones Acetosae et Mel.

Oxymella.

Oxymel Colchici.
† *Oxymel Scillæ.* *Oxymel scilliticum.*
† *Oxymel simplex.*

Solutiones Vinosae.

Vina Medicata, vel Infusa Vinosa.

† *Vinum amarum.*	*Elixir viscerale Hoffmanni.*
Vinum amarum cum Spiritu vini.	
Vinum Ipecacuanhæ.	
† *Vinum Opii aromaticum.*	*Laudanum liquidum Sydenhami.*
Vinum Opii fortius.	Tinctura Opii vinosa.
Vinum Rhei.	Infusum Rhei vinosum.

Solutiones Spirituosae.

Tincturae, Essentiae, Elixiria.

REGULÆ PRO PARANDIS TINCTURIS.

I. SOLUTIONES SPIRITUOSÆ SIMPLICES.

TINCTURÆ SIMPLICES.

TINC-

TINCTURAE SIMPLICES DIGESTIONE FRIGIDA PARANDÆ.

Tinctura Absinthii.
† *Tinctura Aurantiorum.*
Tinctura Benzoës.
† *Tinctura Camphoræ.* *Spiritus vini camphoratus.*
† *Tinctura Cantharidum.*
† *Tinctura Castorei.*
Tinctura Cinnamomi.
Tinctura Croci.
† *Tinctura Rhei.*
Tinctura Serpentariæ.
Tinctura Tolutani balsami.

TINCTURÆ SIMPLICES DIGESTIONE CALIDA PARANDÆ.

Tinctura Aloës.
Tinctura Angusturæ.
Tinctura Asæ fœtidæ.
Tinctura Cascarillæ.
† *Tinctura Catechu.*
Tinctura Contrajervæ.
Tinctura Corticis Peruviani fusci.
Tinctura Corticis Peruviani rubri.
Tinctura Galangæ.

† *Tinctura Gentianæ.*
Tinctura Geoffroyæ.
Tinctura Guajaci.
Tinctura Helenii.
Tinctura Jalappæ.
Tinctura Mastiches.
† *Tinctura Myrrhæ.*
Tinctura Quassiæ.
† *Tinctura Succini.*
Tinctura Tormentillæ.
Tinctura Valerianæ.

II. SOLUTIONES SPIRITUOSÆ COMPOSITÆ.

TINCTURÆ COMPOSITÆ.

† *Tinctura acida aromatica.*	*Elixir Vitrioli acidum.*
Tinctura Aloës aquosa.	Tinctura Aloës.
Tinctura Aloës composita.	Elixir proprietatis.
† *Tinctura amara composita.*	*Elixir stomachicum.*

PRINCIPIA SOLITARIA ORGANICÆ ORIGINIS ET EX ILLIS PRÆPARATA.

Mucilago.

Mucilago Arabici Gummi.
Mucilago Cydoniorum seminum.
Mucilago Tragacanthæ Gummi.

Pin-

Pingue Fixum Vegetabile.

Oleum Expressum.

Oleum Amygdalarum.
Oleum Hyoscyami.
Oleum Ricini.
Oleum Cacao. Butyrum Cacao.

Pingue Fixum Animale.

Pinguedo Animalis.

Axungia Porci depurata.
Sevum Ovillum depuratum.

Pingue Fixum et Oxygenium.

Axungia oxygenata.
Oleum Olivarum oxygenatum.

Pingue Fixum et Sulphur.

Balsamum.

Oleum Lini sulphuratum. Balsamum sulphuris simplex.

Pingue Fixum et Alcali.

Sapo.

† *Sapo albus.*	*Sapo medicatus.*
Sapo de Cacao.	
Sapo Ammoniæ.	Linimentum volatile. Linimentum Ammoniæ.
Sapo Ammoniæ fortior.	Linimentum volatile fortius. Linimentum Ammoniæ fortius.
† *Sapo Jalappinus.*	

Pingue Fixum et Partes Extractivæ.

Olea Infusa.

Oleum Chamæmeli infusum.
Oleum Absinthii infusum.
Oleum Hyoscyami nigri infusum.
Oleum Hyperici infusum.
Oleum Liliorum alborum infusum.

Pingue Fixum et Metallica.

Unguenta, Emplastra, potissimum Saturnina.

Unguenta et Emplastra, quæ maximam partem ad Composita, in Sectione tertia relata, pertinent, eo referantur cuncta, etiam quæ proprie hujus loci forent.

Pingue Volatile, seu Aroma, Minerale.

Oleum Succini depuratum.

Pingue Volatile, seu Aroma, Vegetabile.

Oleum Aethereum, sive Destillatum.

REGULÆ PRO PARANDIS OLEIS AETHEREIS.

Oleum Anisi.
Oleum Aurantiorum.
Oleum Carui.
Oleum Citreorum.
Oleum Fœniculi.
Oleum Juniperi.
Oleum Lavendulæ.
Oleum Menthæ crispæ.
Oleum Menthæ piperitidis.
Oleum Rorismarini.

Oleum Rutæ.
Oleum Tanaceti.

Pingue Volatile, ſeu Aroma, Animale.

Oleum pyro - animale.
Oleum pyro-animale depuratum.
Oleum empyreumaticum animale. Oleum Cornu Cervi foetidum.
Oleum animale Dippelii. Oleum Cornu Cervi rectificatum.

Pingue Volatile, ſeu Aroma, et Aqua.

Aquae Deſtillatae Aromaticae.

REGULAE PRO PARANDIS AQUIS DESTILLATIS AROMATICIS.

Aqua Corticum Aurantiorum.
Aqua Florum Aurantiorum, ſeu Naphæ.
Aqua Foliorum Aurantiorum.
Aqua Cerefolii.
Aqua Chamæmeli.
† *Aqua Cinnamomi.*
Aqua Cochleariæ.
† *Aqua Fœniculi.*
Aqua Majoranæ.

Aqua Menthæ crispæ.
† *Aqua Menthæ piperitidis.*
Aqua Petroſelini.
Aqua Pimentæ.
Aqua Rorismarini.
Aqua Roſarum pallidarum.
Aqua Rutæ.
Aqua Sambuci.
Aqua Lauroceraſi.

Pingue Volatile, ſeu Aroma, et Spiritus Vini.

Spiritus Simplices et Compoſiti.

REGULÆ PRO PARANDIS SPIRITIBUS.

I. SPIRITUS SIMPLICES.

Spiritus Carui.
† *Spiritus Lavendulæ.*
Spiritus Menthæ crispæ.
Spiritus Menthæ piperitidis.
Spiritus Pimentæ.
† *Spiritus Rorismarini.*
Spiritus Cinnamomi.
† *Spiritus Cochleariæ.*
Spiritus Corticum Aurantiorum.
Spiritus Corticum Citri.

II. SPIRITUS COMPOSITI.

Spiritus aromaticus.	loco Spiritus carminativi Sylvii.
Spiritus aromaticus ammoniacalis.	loco Spiritus ſalis volatilis oleoſi et aromatici.
Spiritus Cochleariæ compoſitus.	Aqua, ſeu Cereviſia antiſcorbutica Sydenhami.
Spiritus Juniperi compoſitus.	
Spiritus Melisſæ compoſitus.	Aqua Melisſæ magiſtralis.

Pingue Volatile, ſeu Aroma, et Spiritus Vini.

Balſamum.

Oleum Terebinthinæ ſulphuratum.	Balſamum Sulphuris terebinthinatum.

Reſinae.

Reſina Corticis Peruviani fusci.
Reſina Corticis Peruviani rubri.
Reſina Jalappæ.

AL-

ALCOHOL ET EX ALCOHOLE PRÆPARATA.

Alcohol.

Spiritus Vini et Alcohol.

† *Spiritus vini depuratus.*	*Spiritus vini rectificatus graduum 20.*
	Spiritus vini rectificatissimus graduum 30.
Alcohol.	Alcohol alcalisatum graduum 32 et 34.

Alcohol et Acida.

Acida Dulcificata.

Aether sulphuricus acidus.	Elixir acidum Halleri.
Aether sulphuricus.	Aether vitrioli.
† *Aether sulphuricus alcoholicus.*	*Liquor anodynus mineralis Hoffmanni.*
Aether nitricus.	
† *Aether nitricus alcoholicus.*	*Spiritus nitri dulcis.*
Aether muriaticus alcoholicus.	Spiritus salis dulcis.
Aether aceticus.	

SEC-

SECTIO TERTIA.

MEDICAMENTA OFFICINALIA COMPOSITA, NULLA HABITA RATIONE EFFICACIAE CHEMICAE, QUAM EORUM PRINCIPIA IN SE INVICEM EXERCENT.

Pulveres.

Pulvis aromaticus.
Species aromaticæ.
Pulvis fumalis.
† *Pulvis gummosus.*
Pulvis diatragacanthæ.
† *Pulvis Ipecacuanhæ cum Opio.*
Pulvis Doveri.
Pulvis sudorificus.
Pulvis Myrrhæ compositus.
† *Pulvis salinus compositus.*
Pulvis antispasmodicus.
† *Pulvis sternutatorius.*
Pulvis terrestris.
Pulvis antacidus.

Elec-

Electuaria.

Electuarium Catechu.
Confectio Japonica, loco Diascordii Fracastorii.
† *Electuarium opiatum.*
Electuarium thebaïcum, loco Theriacæ Andromachi.
† *Electuarium Sennæ cum pulpis.*
Electuarium lenitivum.

Trochisci.

Trochisci bechici albi.
Trochisci bechici nigri.
Trochisci Catechu.

Pilulæ.

† *Pilulæ Aloëticæ.*
Pilulæ Aloës cum Myrrha.
Pilulæ Aloës cum Colocynthide.
Pilulæ Rufi.
Pilulæ Cochiæ.
† *Pilulæ Hydrargyri Jalappinæ.*
Pilulæ ex resina Jalappæ.
Pilulæ purgantes.

Liquores.

† *Liquor acetitis plumbi.*
Aqua vegeto-mineralis. Aqua saturnina.
Liquor cupri ammoniaci.
Aqua sapphirina. Aqua ophthalmica cœrulea. Aqua cœlestis.

† *Li-*

† *Liquor muriatis hydrargyri.*	*Liquor mercurialis. Aqua divina Fernelii, loco Aquæ phagadænicæ.*
Liquor muriatis hydrargyro-ammoniacalis.	

Unguenta.

REGULÆ PRO PARANDIS UNGUENTIS.

† *Unguentum acetitis cupri.*	
† *Unguentum acetitis cupri cum melle.*	*Oxymel æruginis. Unguentum ægyptiacum.*
† *Unguentum acetitis plumbi.*	*Unguentum saturninum, loco Unguenti nutriti, et de lithargyro, et defensivi cærulei.*
Unguentum Aloës cum petroleo.	loco Unguenti anthelmintici, et Arthanitæ.
† *Unguentum Cantharidum.*	*Unguentum vesicatorium.*
† *Unguentum Ceti.*	*Unguentum et Emplastrum spermatis Ceti.*
† *Unguentum Elemi.*	*Balsamum Arcæi. Unguentum Elemi compositum.*
Unguentum Laurinum.	Unguentum nervinum.
Unguentum muriatis hydrargyro-ammoniacalis.	Unguentum mercuriale album.
Unguentum nitratis hydrargyri.	Unguentum mercuriale citrinum.

† *Un-*

† *Unguentum opiatum.*	*Unguentum anodynum.*
† *Unguentum oxyduli hydrargyri.*	*Unguentum Neapolitanum. Unguentum hydrargyri ſimplex, cœruleum, ſeu griſeum.*
† *Unguentum oxydi hydrargyri nitrati.*	*Unguentum mercurii rubrum. Balſamum opthalmicum rubrum.*
† *Unguentum oxydi plumbi carbonati.*	*Unguentum album.*
† *Unguentum oxydi plumbi carbonati camphoratum.*	*Unguentum album camphoratum.*
† *Unguentum picis.*	*Unguentum baſilicum.*
† *Unguentum populeum.*	
† *Unguentum ſimplex.*	*loco Unguenti emollientis.*
† *Unguentum ſulphuratum.*	*Unguentum ad ſcabiem, loco Unguenti Jasſeri.*
Unguentum terebinthinaceum.	Balſamum Locatelli.
† *Unguentum zinci.*	*Unguentum de Nihilo, loco Unguenti griſei, ſive e lapide calaminari.*
Ceratum Ceti.	Ceratum ex ſpermate ceti.

Emplastra.

REGULÆ PRO PARANDIS EMPLASTRIS.

† *Emplastrum aromaticum.*	*loco Emplastri de Labdano. Emplastrum ſtomachicum.*

**** † *Em-*

† *Emplastrum Asæ foetidæ.*	*Emplastrum foetidum. Emplastrum antihystericum. Emplastrum resolvens.*
† *Emplastrum Cantharidum.*	*Emplastrum vesicatorium.*
† *Emplastrum Conii.*	*Emplastrum Cicutæ. Emplastrum e Conio.*
Emplastrum Hyoscyami.	
Emplastrum Meliloti.	
Emplastrum Cumini.	
Emplastrum Diapompholygos.	
† *Emplastrum hydrargyri.*	*Emplastrum mercuriale. Emplastrum cœruleum, loco Emplastri de ranis cum mercurio.*
Emplastrum opiatum.	Emplastrum cephalicum.
† *Emplastrum oxydi plumbi semivitrei.*	*Emplastrum commune. Emplastrum diapalmæ.*
† *Emplastrum oxydi plumbi semivitrei gummosum.*	*Emplastrum gummosum. Emplastrum diachylon cum gummi. Emplastrum ammoniaci.*
Emplastrum oxydi plumbi semivitrei cum sulphate ferri calcinato.	Emplastrum defensivum. Emplastrum defensivum rubrum. Emplastrum roborans.
Emplastrum picis.	Emplastrum piceum.
† *Emplastrum resinosum.*	*Emplastrum lithargyri cum resina. Emplastrum adhæsivum, seu commune adhæsivum.*
† *Emplastrum saponatum.*	*Emplastrum de sapone. Emplastrum saponaceum.*

† *Cereoli simplices.*

PROOEMIUM.

I. PONDERUM, CUM USITATORUM IN OFFICINIS NOSTRIS, TUM NOVORUM, IN GALLIA PRÆSERTIM ADHIBITORUM, RATIO.

Pondera in officinis nostris usitata.

Libra medica nostra respondet tribus quartis partibus libræ Tricasſinæ Bataváe.

Libra valet *Uncias duodecim.*

Uncia —— *Drachmas octo.*

Drachma —— *Scrupulos tres.*

Scrupulus —— *Grana viginti.*

Pondera nova.

Gramma Ponduſculum est, quod pro unitate habetur. In pyxidę autem, quæ pondera, uſibus dicata, continet, adest maſſa una *quinque Grammatum*; alia *duorum*

Grammatum: tres vero, quæ ſingulæ *Gramma unum* valent. Harum ergo masſarum ope pondera conſtituuntur 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9 et 10 *Grammatum.*

Deinde *Grammatis* multipla ſunt:

Deca-gramma, ſeu pondus *decem Grammatum.* In memorata pyxide adſunt masſæ, una *quinque Deca-grammatum*, alia *duorum Deca-grammatum*, duæ, quæ ſingulæ valent *unum Deca-gramma*, ita ut harum masſarum ope pondera conſtituantur 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9 *Deca-grammatum*, id est, 10, 20, 30, 40, 50, 60, 70, 80, 90 *Grammatum.*

Hecato-gramma, vel per ſyncopen *Hecto-gramma*; id est, pondus *centum Grammatum.* In pyxide invenitur masſa una *quinque Hecto-grammatum;* alia *duorum Hecto-grammatum*, et duæ, quæ ſingulæ *Hecto-gramma unum* valent. Harum itaque masſarum ope, facile est, pondera conſtituere, quæ valeant 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9 *Hecto-grammata*, id est, 100, 200, 300, 400, 500, 600, 700, 800, 900 *Grammata.*

Chilio-gramma, vel per ſyncopen, *Kilo-gramma*, pondus eſt *mille Grammatum*. Hoc e ſumma omnium ponderum, in pyxide contentorum, ad *Gramma* usque, conficitur, aut ſeorſum habetur. In medicamentorum præſcriptionibus nullius uſus est, cum 32 uncias ſuperet.

Submultipla *Grammatis* ſunt:

Deci-gramma, ſeu *decima Grammatis pars*. In pyxide masſulæ adſunt, quarum una *quinque*, altera *duo* valet *Deci-grammata*, duæ vero valent ſingulæ *Deci-gramma unum*. Pondera ergo conſtitui posſunt 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9 *Deci-grammatum*.

Centi-gramma, ſeu *centeſima Grammatis pars*. In pyxide adſunt masſulæ, una *quinque*, altera *duorum Centi-grammatum*, et duæ, quæ ſingulæ *Centi-gramma* unum valent. Conſtitui proinde posſunt pondera 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9 *Centi-grammatum*.

Milli-gramma, ſeu *milleſima Grammatis pars*. Hæc pondusculla in re pharmaceutica inutilia ſunt. Sunt enim adeo minuta, ut quinque *Milli-grammata* nequidem decimam *grani* partem valeant. Bilances præterea, in officinis haberi ſolitæ, pon-

dusculis adeo minutis vix moveri posſent.

Sunt, qui *hæc ſigna* ad indicanda hæc pondera propoſuerunt:

Gramma.

Deca- *Hecto-* *Kilo-* } *gramma.*

Deci- *Centi-* *Milli-* } *gramma.*

Ponderum nostrorum et novorum ratio.

Quænam ſit ponderum ratio, hucusque in Belgio adhibitorum, ad nova, in Gallia præſertim uſitata, Tabula prima indicat, cum *exactisſime*, tum *proxime*, et quantum in præſcriptionibus ſufficit: in quibus, vitandorum errorum, et facilitatis gratia fractiones ne adhibeantur.

Littera *γ Gramma* indicat. Numerorum notæ, quæ punctum (.) ſequuntur, *Grammatis* partes indicant *milleſimas*, si tres adſunt; *centeſimas*, ſi duæ; *decimas*, ſi unica adest

Exempla.

Grana ſex valent *exacte* o γ. 385, hoc est, 385 *partes milleſimas Grammatis*, ſeu 385 *Milli-grammata*, id est, *Deci-grammata* 3; *Centi-grammata* 8; *Milli-grammata* 5, *proxime* valent eadem o γ. 38, ſeu 38, id est,

est, 38 *partes centesimas Grammatis*, vel 38 *Centi-grammata.*

Scrupuli duo valent *exacte* 2 γ. 56; hoc est, 2 *Grammata* et 56 *partes centesimas*, seu *Centi-grammata*; *proxime* æquant 2 γ. 6, id est, 2 *Grammata* et 6 *partes decimas*, vel *Deci-grammata* seu ℔ 26: hoc est, 26 *Deci-grammata.*

Drachmæ tres valent *exacte* 11 γ. 54: hoc est 11 *Grammata* et 54 *partes centesimas*, vel *Centi-grammata*; *proxime* vero ℔ 12, seu 12 *Grammata.*

Unciæ octo exacte 246 γ. 08, id est 246 *Grammata* et 8 *partes centesimas*, seu *Centi-grammata*; *proxime* vero ℔ 246, seu *Grammata* 246.

II. HYGROMETRUM, SEU AREOMETRUM PHARMACEUTICUM.

Quoniam complurium corporum a Pharmacopola adhibendorum virtus et densitas, seu pondus specificum, constantem invicem servant rationem, hoc inprimis de liquidis constare necesse est, ne quid, quantum fieri possit, in concinnandis medicamentis alicujus arbitrio relinquatur.

Optima hîc methodus esset, si *Bilance Hydrostatica* uteretur; sed hæc apparatum majoris pretii, nec ubi-

que parabilem requirit, et insuper nimium temporis ad usum postulat, quam ut hæc libenter adhibeatur.

Proxime ad priorem accedit exploratio, quæ fit per *Hygrometrum* ita dictum *Fahrenheitianum*. Hoc, fluido, ad examen vocando, innatans, bulboque constans atque collo cylindrico, in vertice patinam parvam gerit, cui ponduscula imponuntur, donec Hygrometrum in explorando fluido ad certam usque notam, collo insculptam, sit demersum. Est volumen hujus Hygrometri, sub fluido demersum, semper idem; pondus vero, quod requiritur, ut Hygrometrum ad eandem notam in quovis fluido demersum teneatur, varium. Eo est majus, quo fluida densiora fuerint, ita quidem, ut fluidorum explorandorum densitates in eadem sint ratione, ac pondera, quæ Hygrometrum, in his ad definitam mensuram subsidens, tenet. Aequant autem hæc pondera summam ponderis ipsius Hygrometri et ponderum patinæ impositorum. Quamvis vero hoc instrumentum proposito præclare inserviat, ad usum tamen vulgarem justo molestior fuit visus modus ponderandi, quem requirit, ut hinc ipsi a plerisque anteponatur *Hygrometrum*, antiquissimo tempore jam inventum, cujus pondus constans est, et quod sola in fluidum explorandum immersione ostendit, qualis sit ejus densitas, seu gravitas specifica.

Hæc scilicet Hygrometra profundius vel minus profunde in fluidis subsident, prout hæc minus vel magis

gis densa fuerint; ita ut pars Hygrometri, quæ fluido immergitur, pro singulis fluidis sit diversa. Quantum autem descenderit Hygrometrum, *gradibus*, in *collo* instrumenti notatis, dignoscitur, et ex *gradu*, ad quem usque subsiderit, de liquidi densitate judicium est ferendum. — Hoc ut legitime fiat, oportet 1mo ut sint Hygrometra inter se comparabilia, id est, ut omnia atque singula, cujuscunque sint molis et ubicunque fuerint confecta, eandem fluidorum densitatem denotent, si, in his demersa, eundem in collo gradum indicent: 2do ut ex ipso hoc gradu explorandi fluidi densitas, ratione termini comparationis, qui adhibetur, *aquæ scilicet depuratæ*, seu *destillatæ* elici possit: 3tio ut, si Hygrometra varia diversis scalis fuerint instructa, hæ inter se comparari queant.

His conditionibus Hygrometrum satisfaciens nostrum erit *pharmaceuticum*.

Quid observandum sit, ut hæc instrumenta primæ et tertiæ conditioni satisfaciant, a physicis fuit notatum, nec hujus est loci, indicare. Ut satisfaciant secundæ, tabula *ponderum specificorum*, vel *densitatum*, quibus singuli scalæ *gradus* respondeant, computetur.

Quis fuerit *graduum* in *collo* notatorum numerus, aut quæ eorum magnitudo, non refert: oportet tantum, ut in omnibus Hygrometris, quæ eadem scala instruc-

ta ſunt, ſit cujusque *gradus* volumen ad volumen *bulbi*, vsque ad initium *Scalæ* (vulgo *nul*, *zero*) ſe extendentis, in ratione conſtanti. — Cum autem de volumine graduum in ſcala notatorum judicium feratur ex ipſorum altitudine, requiritur omnino, ut Hygrometri collum ſit accurate cylindricum, et ut Hygrometrum ipſum ad perpendiculum fluidis innatet. Si hæ conditiones, quarum prima adeo est difficilis, ut vix ac ne vix quidem, ſtricto ſenſu, in vitreïs inſtrumentis locum habeat, deficiant, Hygrometrum est imperfectum. — Ante omnia ergo curandum, ut Hygrometri collum ex tubo vitreo ſit, quantum fieri posſit, per totam longitudinem ejusdem diametri. Dein bulbo conſtet duplici, majori ſuperiore, minori inferiore, cui hydrargyrum immittatur ad ſervandum in liquore æquilibrium, juxta *Fig.* 1, 2 et 3 in *Tab. ſec.* Accurate magis ad perpendiculum erigitur collum, ſi hydrargyro, quam ſi firmo ponduſculo, ex plumbeïs v. gr. granis, bulbus oneretur.

Porro ſua cuique Hygrometro paretur ſcala, paretur accurate ad conſtantem normam: hoc enim nisi fiat, non erit comparationi cum aliis Hygrometris aptum, et hinc vix alicujus utilitatis.

Celeberrimo Pariſienſi chemico BAUMÉ, quem in conficiendo nostro inſtrumento uſuali proxime ſequendum esſe cenſuimus, laus debetur, quod primus rationem propoſuerit inveniendi duo, ubivis ac facile no-

notanda, puncta, *fixa* dicta, a quibus constitutis certa divisionis norma pro universa scala proficiscitur. — Primum punctum habetur ex altitudine, ad quam Hygrometrum in *aqua depurata* subsidit, alterum ex altitudine, ad quam in *aqua*, certa lege, *salsa* hæret, ut videre est apud BAUMÉ *Eléments de pharmacie*, *pag.* 343 *edit. sept.*

Principia, ad quæ *scala* ejusmodi *comparabilis* fieri debet, hæc sunt: prima nota, quam aqua depurata ostendit, o (*nul*) indicanda est, et intervallum inter illam et notam secundam, quam aqua salsa monstrat, debet dividi in decem partes æquales, ut numerus decimus huic secundæ respondeat; quo facto, unaquæque divisionis pars *unum* gradum designat. Similis ad eandem mensuram fit universæ tubi longitudinis, cum sursum, tum deorsum, partitio; quo facto, eadem semper graduum ad instrumenti bulbum est ratio, seu scala habetur Hygrometro comparabili inserviens.

Posita nota o, beneficio aquæ depuratæ notata ad scalæ medium, vel saltem ad debitum a colli Hygrometri utroque extremo intervallum, inservient gradus, supra o adscripti, ad determinandam gravitatem specificam liquidorum, aqua specifice leviorum; deorsum vero notati, ad dijudicandam hanc gravitatem pro liquidis, aqua densioribus. Patet ergo, posse unum idemque instrumentum, modo scala satis ampla, hoc est, longo satis collo cylindrico instruatur

Hygrometrum, cum ad menſuram gravitatis ſpecificæ inеundam liquorum, aqua leviorum, tum eorum, qui aquam gravitate ſuperant, inſervire, ut est in *Figura prima*. Verum enimvero ſic illa inſignis colli Hygrometri longitudo est neceſſaria, quæ haud unam in uſu vulgari molestiam creat; unde longe ſatius est, ſcalam Hygrometri dividere in duas partes, quarum prima inde a nota o incipit, vel, quod conſultius duximus, ut infra patebit, a numero 10 infra o; altera ad o deſinit, ut duo formentur Hygrometra. Primum (*Fig.* 2.), primam ſcalæ partem ferens, inſerviet ad liquores explorandos, aqua leviores, alterum (*Fig.* 3.), alteram ejusdem ſcalæ partem continens, faciet ad eos distinguendos, qui aqua ſunt graviores.

Ut ergo, poſitis, quas ante indicavimus, boni Hygrometri conditionibus, ſcala *comparabilis*, quæ vulgo dicitur, conficiatur, ac utrumque Hygrometrum in uſus pharmaceuticos conſtituatur, ſequentes obſervandæ leges ſunt.

1. Præsto ſit aqua, recens depurata per destillationem, vel quæ ſaltem lagena clauſa fuit ſervata.

2. Paretur aqua ſalſa, ea ratione, ut una pars muriatis ſodæ ſiccisſimi et depurati, ſeu ſalis culinaris, ab aquæ depuratæ (1) partibus novem, pondere ad bilancem determinato, vaſe clauſo, ne quid avolet, cauta manu ſolvatur.

Ha-

Habebunt hi duo liquores ſub eadem caloris temperatura eandem ſemper denſitatem, et poterunt ubivis facile parari.

3. Sumantur duo vaſa vitrea, quorum alterum aqua depurata (1), alterum aqua ſalſa (2) impleatur, ac per integrum experimenti decurſum idem caloris gradus ſervetur, qui gradui 56 ad 60 in Thermometro Fahrenheitiano respondeat.

4. Hygrometrum primum, quod debet inſervire ad liquores explorandos, aqua leviores, collo nondum clauſo, in quod chartacea fascia, ad ſcalæ gradus recipiendos destinata, antea immittatur, in vas, aquam ſalſam continens, demerge, ut inferior tubi regio ſupra bulbum liquidi ſuperficiei respondeat, et nota in tubo ſeu collo Hygrometri hunc locum; dein idem Hygrometrum demerge in vas, aquam depuratam continens, et ſimiliter nota in collo locum, ad quem descendit. — Cave ne inſtrumento, ex altero in alterum liquidum transferendo, aliquid de ſalis ſolutione adhæreat.

5. Hygrometrum alterum, quod faciat ad examen liquidorum ponderoſiorum, aperto collo et chartaceam fasciam, ut ante, ferente, mox in aquam depuratam demitte, ea ratione, ut præ majori pondere, bulbo immisſo, ad exiguum a tubi ſuperiori extremo intervallum æquilibrium in aqua ſervet; nota, ut ante, in collo hunc etiam locum: porro inſtrumentum debita ſub cau-

cautela in aquam committe ſalſam (2) et nota rurſus punctum, ad quod aſcendit tubus atque ſubſistit.

6. Intervallum in utroque Hygrometro, duobus memoratis punctis (4. 5.) definitum, ope circini transfer in chartaceam fasciam, ſcalæ recipiendæ destinatam: divide hoc intervallum in decem partes æquales, quæ ſingulæ unum gradum conficient. In ſcala hygrometri, liquoribus aqua levioribus explorandis apti, gradus appone a nota o ſeu aquæ puræ puncto, ſurſum ad quinquageſimum usque, deorſum verſus ad decimum. In ſcala vero Hygrometri, fluidis gravioribus parandi, gradus a nota o, ſeu puncto ſupremo, deorſum verſus protende usque ad ſeptuageſimum quintum.

7. Convolve chartam, in qua jam ſcala appoſitis numeris o, 5, 10, 15 &c. delineata est, eamque interiori parti colli utroque Hygrometro applica, ita ut in utroque initium ſcalæ, ſeu o respondeat illi notæ, ad quam in aqua depurata descendit Hygrometrum; decimus vero infra o gradus notæ, ad quam ſubſidit in aqua ſalſa.

8. Tandem claude, vel, ut loquuntur, *hermetice* ſigilla Hygrometrorum colla. Ita ad uſum pharmaceuticum egregie comparabilia erunt conſtituta, quæ quovis tempore, ſintne legitime parata, poterit quoque di-

ju-

judicari, modo alterna vice in aquam depuratam (1) et salsam (2) demittantur.

Cum Bauméanis nostra Hygrometra pharmaceutica facile possunt comparari, ut ex tabula secunda patet. Ab illis tantum differunt 1mo quod scala nostra prior per decem gradus infra 0 descendat, qui ergo conveniunt cum decem primis gradibus Hygrometri Bauméani, pro salibus destinati; verum etiam 2do quod 0, seu scalæ nostræ initium respondeat notæ, ad quam per aquam depuratam hæc subsidit, cui in Bauméano, liquoribus aqua levioribus explorandis apto, numerus decimus respondet, ita ut numeri, ab Hygrometro nostro indicati, semper decem unitatibus minores sint illis, quos Hygrometrum Bauméanum indicat. Præcipua autem caussa, quæ nos ad scalam ita constituendam impulit, est, quod ubivis aquæ densitas pro unitate assumi soleat. Præterea sic ambo Hygrometra, alterum scilicet pro liquoribus levioribus, et alterum pro gravioribus, inter se conveniunt; et in priore decem illi gradus, qui infra 0 adsunt, eidem usui inserviunt, ac decem priores Hygrometri posterioris.

Magis a nostris Hygrometris recedunt ea, quæ *Clarissimi Inspectores Collegii Medici Amstelædamensis* in usum *Pharmacopœæ novæ Amstelædamensis* Anno 1792 proposuerunt, et conficienda curaverunt.

Hæc non tantum non faciunt ad examen liquorum, aquam

aquam pondere ſuperantium, verum etiam in ſcalis puncta duo fixa, omnino neceſſaria, non habent. Incommodum hinc natum levamen, fatemur, habuit, quod ab uno artifice, ſub *Collegii Amſtelædamenſis* approbatione, omnia confici debuerint a Pharmacopœis adhibenda Hygrometra; at vero, cum ſimile quid minus congruenter pro univerſa Republica Batava posſit fieri, atque inſuper præſtet, ut ubique a quovis artifice Hygrometra pharmaceutica fiant, eaque certa lege dijudicentur, atque ſic experimento facili, non ſola auctoritate de inſtrumenti ejusmodi ratione posſit conſtare, nostram ſcalarum inſtituendarum normam proponendam eſſe, conſultum duximus.

In tabula tamen adjecta juxta comparationem nostra Hygrometra inter atque Bauméana, comparationem pariter adpoſuimus cum Hygrometro Amſtelædamenſi, ut illis posſet inprimis inſervire, quibus hoc inſtrumentum jam antea in uſu fuerit. Hanc autem comparationem duximus ex experimentis, quæ cum Hygrometris Bauméanis et Amſtelædamenſibus inſtituimus.

Uſus hujus tabulæ præſertim ſequens est:

1. Dato gradu, ad quem Hygrometrum nostrum per liquorem ſubſidit, indicat adſcriptus numerus, quale ſit illius *pondus ſpecificum*, habita ratione ad aquam depuratam.

2. Si liquoris *pondus ſpecificum* cognitum ſit, respondens huic ponderi gradus menſuram immerſionis, ſeu gradum Hygrometri ostendit.

3. Co-

3. Cognito gradu in Hygrometro pharmaceutico, respondens illi gradus in Hygrometris Amſtelædamenſi et Bauméano facile invenitur, notando gradum, qui adſcriptæ denſitati proxime convenit. Sit liquor v. gr. graduum 25 juxta Hygrometrum pharmaceuticum, et quæratur de gradibus reſpondentibus in Amſtelædamenſi et Bauméano. Invenitur juxta gradum 25 in columna prima denſitas = 852. Huic numero in columna ſecunda reſpondet locus medius inter gradum 28 et 29, ſeu $28\frac{1}{2}$; in columna vero tertia reſpondet gradus 35. Ergo ſi in liquore Hygrometrum pharmaceuticum nostrum ſubſidit ad gradum 25, ſubſidet Amſtelædamenſe ad gradum $28\frac{1}{2}$ et Bauméanum ad 35.

4. Vice verſa, cognito gradu, quem Amſtelædamenſe, aut Bauméanum monſtrat, eodem modo invenitur reſpondens gradus in Hygrometro nostro. Quæratur v. gr. reſpondens gradus in Hygrometro nostro gradui 34 in Hygrometro Amſtelædamenſi. Invenitur denſitas gradui 34 Amſtelaedamenſi adſcripta = 829. Jam vero huic denſitati 829 vel 828 respondet Hygrometri nostri gradus 30, id est, gradus 34 in Hygrometro Amſtelædamenſi eandem denſitatem monſtrat, ac gr. 30 in Hygrometro nostro, et 40 in Hygrometro Bauméano.

III. REAGENTIA PRÆCIPUA, IN OFFICINIS PARANDA.

Pro detegendis salibus alcalinis.

1. Infusa florum cœruleorum, speciatim florum violæ.
2. Charta flava, curcumæ infuso tincta.
3. Charta rubra, infuso ligni fernambuci colorata.
4. Murias hydrargyri, aqua depurata solutum.

Pro acidis liberis.

5. Infusum succi *Lakmoes* et florum cœruleorum, inprimis violæ.
6. Charta infuso succi *Lakmoes* tincta.
7. Carbonas potassæ, solutum aqua destillata.

Pro acidis singulis, liberis et ligatis.

8. Murias barytæ } pro acido sulphurico libero et ligato
9. Nitras barytæ }
10. Nitras argenti. } pro acido muriatico libero et ligato.
11. Nitras plumbi. }
12. Acidum nitricum purissimum, ut acidum phosphoricum et tartarosum a sulphurico in compositis salinis terrestribus et metallicis præcipitatis dignoscantur.
13. Aqua calcis, pro gas acido carbonico, præsertim in aquis fontanis.

14. So-

Pro ſalibus terreſtribus et metallicis, præſertim in examine aquarum.	14.	Solutio ſaponis albi in alcohole, pari aquæ deſtillatæ quantitate diluta.
	15.	Potasſa pura liquida, et 7.
	16.	Oxalas potasſæ et acidum oxalicum, pro calce.
Pro gas oxygenio aëris atmosphærici, aquæ immisti.	17.	Sulphas ferri, ſeu ſal martis recens paratum, aqua depurata ſolutum.
Pro gas hydrogenio ſulphurato, ſeu hepatico.	10.	
Pro adſtringente principio vegetabili.	17.	
Pro extractivo et mucilaginoſo plantarum principio.	18.	Nitras hydrargyri ſolutum.
Pro ferro.	19.	Tinctura gallarum.
	20.	Prusſias potasſæ ſolutum.
Pro plumbo, arſenico aliisque metallis.	21.	Aqua hydro-ſulphurata, vulgo, hepatica dicta. Uſui vero quotidiano ad plumbum detegendum inſervire poterit
	22.	Aqua hydro-ſulphurata acidula, vulgo, liquor probatorius HAHNEMANNI.

Pro cupro.	23. Ammonia liquida.
Pro arsenico.	24. Præter aquam hydro-sulphuratam, oxydi cupri in ammonia liquida solutio saturata.
Pro salibus neutris et mediis examinandis.	25. Alcohol vini generosissimus.

SEC-

SECTIO PRIMA.

MATERIA PHARMACEUTICA.

Corpora ex Regno Fossili.

ACETIS CUPRI.

ÆRUGO DESTILLATA, seu CRYSTALLISATA.

Sit acido acetoso saturata, crystallisata, obscure viridis, tota aqua fervida solubilis. (*a*)

† *ACETIS PLUMBI.*

SACCHARUM SATURNI.

Sal medius metallicus, ex plumbo, et acido acetoso constans, albus, subdiaphanus, acicularis, dulcis, adstringens, aqua destillata totus solubilis.

† *ACIDUM NITRICUM.*

SPIRITUS NITRI VULGARIS. AQUA FORTIS.

Acidum minerale ex nitrate potassæ per sulphas ferri in officinis propriis, præsertim Amstelædamensibus, separa-

(*) Medicamenta, literis, quas vocant, Romanis scripta, in officinis minorum oppidorum et pagorum non requiruntur.

paratum, coloris aquatici, odoris singularis, venale impurius: depuratum vide 2da Sect. *Acidum nitricum.*

† *ACIDUM SULPHURICUM.*

ACIDUM VITRIOLICUM, seu *OLEUM VITRIOLI.*

Acidum fluidum, unctuosi habitus, cum aqua valde incalescens; sit pellucidum, nullum sedimentum ponat, gravitatis specificæ 1,800 *ad* 2,000. *In* Germania *ex sulphate ferri excussum, coloris plerumque obscurioris, odorem spirat sulphurosum, et nonnunquam ferro, vel cupro inquinatum est. Alibi paratum combustione ex sulphure oxydato, quale potissimum apud nos adhibetur, vulgo* Anglicum *dictum, priori debilius, sed magis limpidum, in aëre non fumans; rarius plumbi particeps est.*

ARGENTUM CUPELLATUM.

Metallum candidum, nitoris eximii, sonorum, ductile; cum acido nitrico det solutionem limpidam, ab addita ammonia colore cœruleo non tingendam.

† *ARGENTUM FOLIATUM.*

Argentum purum, in laminas tenuissimas redactum. Si cum ammonia liquida digeratur, colorem non excitet cœruleum.

AURUM FOLIATUM.

Aurum purum, in laminas tenuissimas redactum, folis

lis acidis muriatico-oxygenato et nitro-muriatico ſolubile.

BISMUTHUM.

Metallum durum, fragile, nitens, texturæ lamellalaris, album, leviter rubescens, igne leni liqueſcens et acido nitrico cum effervescentia ſolubile.

BOLUS ARMENIA, ſeu RUBRA.

Argilla ex luteo rubra, tactu pinguis et lævis, linguæ adhærens.

† *BORAS SODÆ ALCALINUM.*

BORAX.

Ex ſale Indiæ nativo, Tincal *dicto*, *olim* Venetiis, *hodie* Amſtelædami, *depuratione obtinenetur. Crystalli ſint columnares, majores, ſemipellucidæ, nitentes, non coloratæ, ſaporis initio parum dulceſcentis, dein ad amarum vergentis, ac ſubacris alcalini. Cum acidis non effervescat, et ſolutum ab affuſo lixivio potasſæ nullum præcipitatum demittat.*

CALX.

CALX VIVA.

Terra alba e lapidibus calcariis, vel testis conchyliorum forti ustione parata. Sit caustica, aquam valide bibat, cum hac vehementer incalescat, ac in pulverem dilabatur, inque aëre libero fatiscat.

CARBONAS CALCIS NATIVUM PULVERULENTUM.

CRETA ALBA.

Terra alba, ſicca, friabilis, tingens, aquam bibens. Sit albisſima, levis, non arenoſa, acido nitrico frigido facile ſolvenda.

CUPRUM.

VENUS.

Metallum ductile, nitens, rufum, æruginem ex aëre et aqua contrahens, flamma viridi ardens.

FERRUM.

MARS.

Metallum griſeo-cœrulescens, magneti obediens. Ferri limatura venalis ſæpe cupro inquinata est, quod digestione cum ammonia, inde cœrulescente, facile detegitur. Hinc limatura ab ipſo Pharmacopœo paranda est.

† *HYDRARGYRUM.*

ARGENTUM VIVUM, ſeu MERCURIUS.

Sit lucide ſplendens, globulis exacte ſphæricis currens, aquam deſtillatam tritura non inquinet, ex vasculo vitreo altero in alterum ſæpius transmisſum pelliculam non contrahat, et igne totum ac placide avolet.

† *MU-*

† *MURIAS AMMONIÆ.*

SAL AMMONIACUS.

Sal neuter ex acido muriatico et ammonia constans; albus, crystallis minutis, concretis, saporis salsi, in igne fortiori totus volatilis, et in aëre non deliquescens. Solutio illius chartam cœruleam vix tingat; affusione solutionis carbonatis potassæ alcalini et muriatis barytæ haud turbetur. Optimus habetur Aegyptiacus; *paratur etiam bonæ notæ* Amstelædami, *et in aliis* Europæ *regionibus.*

† *MURIAS SODÆ.*

SAL COMMUNIS, SAL MARINUS, SAL CULINARIS.

Sal neuter ex acido muriatico et soda constans, albus, saporis salsi, crystallis cubicis pellucidis, in aëre nec fatiscens, nec deliquescens.

† *NITRAS POTASSÆ.*

NITRUM.

Sal neuter, constans ex acido nitrico et potassa, crystallos offert prismaticas, hexangulares, apicibus pyramidalibus, itidem hexagonis, saporis acris, amari, refrigerantis. Eligatur purum, siccum, bene crystallisatum, cum substantiis inflammabilibus læte detonans, ac affusa solutione alcalina, terreas partes non, aut saltem

tem parce deponens. Impurum habetur ex nitrariis in calidiori Europa. *Fossile ex* India orientali *inprimis ad nos adfertur et in propriis officinis* Amstelædami *depuratur.*

† *OXYDULUM ARSENICI ALBUM.*

ARSENICUM ALBUM.

Massa compacta, valde gravis, opaca, alba, fragilis, in fractura nitens, saporis acris subdulcis, summe venenata, aqua solubilis, prunis insparsa, fumi albi specie avolans, et alliaceum spargens odorem, metalla polita huic fumo opposita macula alba inquinans; laminæ cupreæ candenti imposita, maculam relinquit nigram, vix delendam.

† *OXYDUM CUPRI* PER *ACIDUM VEGETABILE.*

ÆRUGO, seu VIRIDE ÆRIS.

Sit oxydum purum coloris ad cœruleum vergentis; siccum, nec in libero aëre deliquescens, nec saporis salsi, ac totum acido sulphurico solubile.

OXYDUM FERRI NATIVUM.

HÆMATITES LAPIS.

Oxydi ferri dives minera, in solidis massis fibris tenuibus radiata, tritura rubra.

OXY-

OXYDUM COBALTI CUM TERRA SILICEA.

SMALTUM.

Oxydum cum rerra ſilicea vitreum, fuſum, cœruleum, in pulverem tenuisſimum tritum.

OXYDUM MAGNESII NIGRUM NATIVUM.

MAGNESIA NIGRA.

Oxydum ponderoſum, fragile, inquinans, texturæ fibroſæ; eligatur atrum, quod, igni inpoſitum, nullum naribus percipiendum halitum emittit. Vitetur pulveratum, quod venale proſtat, utpote alienis interdum adulteratum.

† *OXYDUM PLUMBI CARBONATUM, PER ACIDUM ACETOSUM.*

CERUSSA.

Oxydum valde ponderoſum, albi coloris. Cum oleo lini in pastam redactum, totum in metallum poterit reduci. Adulteratio cum creta per acidum muriacum examinetur.

† OXY-

† *OXYDUM PLUMBI RUBRUM.*

MINIUM.

Oxydum læte rubrum; sit pulvis subtilissimus, valde ponderosus, coloris, si ad chartam albam teratur, nonnihil flavescentis; cum pinguedine totum in metallum reducatur, totumque coctione in aceto solvatur.

† *OXYDUM PLUMBI SEMIVITREUM.*

LITHARGYRIUM, LITHARGYRUM, LITHARGYRUS.

Oxydum a depuratione metallorum nobilium residuum, flavescens, squamosum, ad tactum pingue. Rejiciatur quod, cum ammonia digestum, subcœruleum evadit.

OXYDUM ZINCI.

NIHIL ALBUM, POMPHOLYX.

Oxydum, quod durante zinci reductione et cupri flavi præparatione sublimatur, leve, vix cohærens, album, insipidum, ac inodorum. Sit acido sulphurico frigido plane solubile.

OXYDUM ZINCI NATIVUM.

CALAMINARIS LAPIS.

Oxydum cohærens, ponderosum, compactum, potissimum oxydo ferri inquinatum, cinereum, in luteum, flavum, fuscum vel rubrum vergens.

† *PETROLEUM BARBADENSE.*

Bitumen fluidum, flavum, aut rubescens, succineî odoris, saporis acris, spiritu vini non solubile. Distinguendum a Petroleo nigro, *quod spissius est, et gravius olet.*

PLUMBUM.

SATURNUS.

Metallum ductile, molle, nitoris lividi, fugacis, odoris, si fricetur, peculiaris.

STANNUM.

JUPITER.

Metallum ductile, album, coloris fere argentei, molle, cum aliquo stridore flexile. Ad usus pharmaceuticos optimum est, quod ex *Malacca* et *Bànca* adfertur. Prius titulo *tin in inktkokers*, posterius massis magnis ponderosis prostat. Vitandum, quod his in regionibus artifices ad utensilia, culinis destinata, magno

ſanitatis detrimento cum plumbo miscent. — Vitandum etiam *Anglicum*, licet purius, cupro tamen et bismutho inquinatum.

† *SUCCINUM.*

AMBRA FLAVA.

Bitumen ſolidum, fragile, flavum, rubrum, aut albescens, in fractura æquabile, ſub tritura in pulverem grati odoris abiens. Optimum flavum, aut citrinum, pellucidum, prunis injectum liqueſit et grato odore deflagrat.

† *SULPHAS ACIDULUM ALUMINÆ.*

ALUMEN CRUDUM, ſeu VULGARE.

Sal adſtringens, in receſſu dulcis, conſtans præſertim ex acido ſulphurico et alumina. Sit album, ſemipellucidum, haud coloratum, in masſis majoribus cryſtalliſatum, in aqua totum ſolubile, et in igne in masſam albam ac ſpongioſam intumescat.

SULPHAS BARYTÆ.

SPATHUM PONDEROSUM.

Sal medius terrestris, ex acido ſulphurico et baryta, ſeu terra ponderoſa, conſtans, nativus, ponderoſus, fragilis, lamellaris, nitoris vitrei, aqua non ſolubilis. Eligatur candidum, ſine particulis adhærentibus metallicis.

† *SUL-*

† *SULPHAS CUPRI.*

VITRIOLUM COERULEUM, VENERIS, CUPRI, seu CYPRIUM.

Sal medius metallicus, ex acido sulphurico constans et oxydo cupri, pulchre cœruleus, vel sapphirinus, saporis acris, austeri, nauseosi, metallici, in aëre libero ad superficiem albescens, non flavescens.

† *SULPHAS FERRI.*

VITRIOLUM VIRIDE, MARTIS, seu FERRI.

Sal medius metallicus, ex acido sulphurico et oxydo ferri constans, coloris viridis, saporis adstringentis, crystallis rhomboïdalibus, vel hexaëdris. Præter Anglicanum vulgare *prostat* Vitriolum Hungaricum *et* Romanum, *sed ad usum medicum non adhibeatur; a Pharmacopœo hic sal paretur, cum venalis impurior esse soleat. Vid.* Sect. 2da *Sulphas ferri.*

† *SULPHAS MAGNESIÆ.*

SAL CATHARTICUS AMARUS, SAL ANGLICANUS, SAL EBSHAMENSIS.

Sal neuter, ex acido sulphurico et magnesia constans, albus, crystallis columnaribus, saporis acris, amari, aqua totus solubilis, ab alcalinis turbandus, in aëre libero deliquium non patiens, nisi murias magnesiæ illi adhæreat, qui sal est valde acer et avide aquam atmosphæræ attrahit.

hit. Quo ergo siccior sal catharticus, eo melior habendus. Depurationem vide Sect. 2da.
Habetur ex lixiviis ultimis, post coctionem salis culinaris residuis, in Anglia et apud nos.

† *SULPHAS SODÆ.*

SAL MIRABILIS GLAUBERI, SAL CATHARTICUS GLAUBERI.

Sal neuter, ex acido sulphurico et soda constans, albus, semipellucidus, crystallis majoribus prismaticis; saporis mox refrigerantis, dein amari, aqua facile solubilis; solutione limpida ab alcalicis non turbandus, in igne nec detonans, nec crepitans.

† *SULPHAS ZINCI.*

VITRIOLUM ALBUM, VITRIOLUM ZINCI.

Sal medius metallicus, constans ex acido sulphurico et oxydo zinci, albidus, saporis adstringentis, in massis majoribus non crystallisatis vulgo prostans. Venale plerumque ferro aliisque metallis inquinatum, hinc ad usus pharmaceuticos paretur. Vid. Sect. 2da *Sulphas zinci.*

† *SULPHUR.*

SULPHUR VULGARE.

Cylindri solidi, citrini, vel flavo-viridescentes, igni exposiri

ſti flamma cœrulea ardentes, vapore acido, ſuffocante. Igne vaſis clauſis ſublimati flores ſulphuris *conſtituunt, qui probe loti* ſulphur depuratum *præbent.*

† *SULPHURETUM HYDRARGYRI RUBRUM.*

CINNABARIS FACTITIA IN MASSIS.

Præparatum hoc in masſis ingrediatur officinas, a Pharmacopœo in pulverem redigendum. Sint hæ masſæ compactæ, texturæ cryſtallinæ, obſcuri ruboris, friabiles et igne forti plane avolent. — Carboni ignito inſperſa cinnabaris odorem ſpargat ſulphureum, nec reſinoſum, nec alliaceum; flamma ardeat læte cœrulea, neutiquam rubra.

† *SULPHURETUM STIBII NATIVUM.*

ANTIMONIUM CRUDUM.

Subſtantia ponderoſa, ſolida, ſplendens radiis, ſeu ſtriis cryſtallinis ſplendentibus acicularibus, ex cœruleo griſeis; in igne liquescens, odorem ſulphuris accenſi ſpargens, et tota tandem avolans. Pars ſuperior coni, vel placentæ, e mineris eliquatæ, ſpongioſa, levis, impura et parum metallici habens, rejicienda.

ZINCUM.

ZINCUM INDICUM.

Metallum parum ductile, lamelloſum, ſeu teſſulare, ſplendo-

doris cœrulescentis, fere argentei, tenax, igne liquandum et flamma pallide virenti ardens; potiori parte floccorum alborum specie sublimandum. Eligatur *Indicum*; negligatur *Goslariense*, diversis metallis heterogeneis, inprimis ferro et cupro, inquinatum.

Corpora ex Regno Vegetabili.

ABROTANUM, herba, summitates.

ARTEMESIA ABROTANUM Botanicorum.

Planta perennis Europæ meridionalis et Orientis. Herba amaro-aromatica, foliis setaceis numerosissimis. — Cultura vires increscunt.

† *ABSINTHIUM MARITIMUM, herba, summitates.*

ARTEMISIA MARITIMA.

Planta perennis, in littoribus marinis, præsertim argillaceis, frequentissima.
Herba foliis multipartitis, tomentosis, racemis cernuis, floribus femineis ternis, aromatica, camphoræ odori non absimilis, amara, salina.

† *ABSINTHIUM VULGARE, herba, summitates.*

ARTEMISIA ABSINTHIUM.

Planta perennis; colitur in hortis Nordvicensibus, aliisque botanicis.

Her-

Herba florens amarissima, aromatica, recens subnarcotica, floribus compositis exiguis, subglobosis, pendulis, receptaculo villoso, foliolis compositis multifidis.

† *ACETOSA VULGARIS, folia recentia.*

RUMEX ACETOSA.

Planta perennis, in pratis omnibus sponte nascens. Herba acida, refrigerans, floribus diœcis, foliis oblongis sagittatis. — Cultura grandescit et gratior fit; sola culta officinas intrat.

ACETOSELLA, herba recens.

OXALIS ACETOSELLA.

Planta perennis, in sylvis muscosis et ad sepes umbrosas.
Herba acida, refrigerans, scapo unifloro, foliis ternatis, obcordatis, radice dentata.

† *ACETUM VINI.*

Liquor acidus, ex fermentatione vini acida natus; sit gratus, reficiens, pellucidus, flavo-albus, trigesima sui ponderis parte potassam depuratam saturans. Adulterationes cum acido sulphurico, muriatico aliisque per reagentia dijudicentur.

ACO-

ACONITUM, herba.

ACONITUM CAMMARUM?

Planta perennis in Hercynia et Auſtria frequens. Colitur in hortis; cultura autem omnis ferme vis medica perit.
Folia acria, palmata, quinquepartita, lobis disſectis. Napello maxime affinis, at vero grandior, floribus non ita cœruleis, at violaceis, majoribus, et galeæ acumine longiore, foliis latioribus, majoribus.

† *ACORUS, CALAMUS AROMATICUS, radix.*

ACORUS CALAMUS.

Planta perennis, in foſſis, piscinis, ſtagnisque crebra.
Radicis odor fragrans, ſapor aromaticus, amarus. Cæterum radix est longa, digitum circiter craſſa, ſubcompreſſa, geniculata, notata, prout in officinis proſtat, deorſum cicatriculis numeroſis ex reſectis radiculis, ſubfusca, et ſpongioſæ texturæ.

AGARICUS QUERNUS.

BOLETUS IGNIARIUS.

In truncis variarum arborum.
Fungus acaulis, pulvinatus, lævis, poris tenuisſimis; rite præparatus, igni amicisſimus, non flamma, at ſerpente igne combustibilis.

AGRI-

AGRIMONIA, herba.

AGRIMONIA EUPATORIA.

Planta perennis in pratis apricis, ad ſepes et vias indigena.
Herba recens ſubaromatica, ſubamaricans, ſubaustera.
Folia interrupte pinnata; foliola ovata, ſerrata, impari petiolato.

ALLIUM, bulbus.

ALLIUM SATIVUM.

Planta in Sicilia ſponte provenit; frequens colitur in hortis.
Odor bulbi ſpecificus, penetrans, volatilis, ſapor acris.

† *ALOË SUCCOTRINA, gummi-reſina.*

ALOË PERFOLIATA.

Frutex ſucculentus utriusque Indiæ et Africæ meridionalis.
Gummi-reſina rubro-nigricans, purpurascens, nitens, diaphana; in pulverem redacta, aurea, ſplendens, ſaporis amaro-aromatici, odoris aromatici myrrhini.
Aloë hepatica *coloris obſcurioris, durior, ſiccior, gravior, non ita ſplendens, nec diaphana, amaritiei cæterum magis nauſeoſæ, odorisque fortioris, minus grati.*

Aloës caballinæ *denique fœtor ingratissimus; color longe obscurior, et sordities manifesta sufficiant, ut a reliquis distinguatur.*

A promontorio bonæ spei aloës species advehitur, succotrinæ *maxime affinis, at minus pellucida,* capensis *dicta.*

† *ALTHÆA, radix, folia, flores.*

ALTHÆA OFFICINALIS.

Planta perennis solo argillaceo humido sponte crescens. Colitur in hortis Nordvicensibus aliisque botanicis.

Radix teres, calamum vel digitum crassa, extus subgrisea, vel flava epidermide obducta; intus mucilaginosa, subdulcis.

Folia triangularia, tomento cinereo mollissimo tecta, itidem mucilaginosa.

Flores malvacei, mucilagine divites.

† *AMMONIACUM GUMMI, gummi-resina.*

Ignotæ plantæ; umbelliferæ Africanæ?

Gummi-resina recentior albo-flavescens, annosior vero ex substantia flavescente vel rufescente cum granis lacteis intermixta constans, odoris gravis, balsamici, nauseosi, saporis subdulcis, leviter amari. Rejiciatur heterogeneis inquinata.

† *AMYG-*

† *AMYGDALÆ DULCES et AMARÆ*, *nucleus.*

AMYGDALUS COMMUNIS.

Arbor in ſeptentrionali Africa ſponte nascens; in Italia, Gallia, Sicilia copioſe culta; etiam noſtrum fert clima.

Amygdalæ dulces. *Comparandæ Italicæ, vel Florentinæ, quæ craſſiores, longiores, gratioresque ſaporis ſunt. Rejiciantur eroſæ, fractæ, rancidæ, vetustæ.*

Amygdæle amaræ *omni titulo conveniant cum dulcibus, niſi ſapore, qui in hisce amarus.*

ANETHUM, ſemen.

ANETHUM GRAVEOLENS.

Planta annua in meridionali Europa ſponte nascens, in hortis apud nos culta.

Semina ovata, ſtriata, compreſſa, ſuperficie altera plana, altera convexa, margine membranoſo, dilute fuſca, odoris fragrantis, ſaporis aromatici calidi.

ANGELICA, radix.

ANGELICA ARCHANGELICA.

Planta biennis in Lapponia, Norvegia, Islandia, &c. ſponte crescens, in hortis Nordvicenſibus aliisque culta.

Radix, altero demum anno effodienda, ſit craſſa, rugoſa, fibroſa, fusca; per longitudinem diſſecta in ca-

nalibus exiguis flavam prodit gummi-resinam: odore admodum fragranti moschum æmulatur.
Ne confundatur cum radice *Angelicæ sylvestris*, quæ debilior, minor, et canalibus dictis caret.

ANGUSTURA, cortex.

MAGNOLIA PLUMÆRI? an vero BRUCEA ANTIDYSENTERICA, seu FERRUGINEA?

Ex insula Angustura Americæ meridionalis.
Cortex frustis convexis, diametri circiter sesquipollicis, vel minoris, longitudinis plerumque sex pollicum, lineam circiter dimidiam crassis, diffractis splendentibus et resinosis, numquam fibrosis, extus inæqualibus et sulcatis, ex fusco ochroleucis, saporis amari, aromatici, subcinnamomei; in pulverem tritus, colore rheum æmulatur.

† *ANISUM*, *semen.*

PIMPINELLA ANISUM.

Planta annua Ægyptiaca. Colitur in variis Europæ regionibus.
Semina pedunculata, oblonga, ventricosa, striata, subviridia, suaveolentia, ex subdulci aromatica. Præferuntur semina Alonensia, *quæ minora et gratiora.*

† *ANI-*

† *ANISUM STELLATUM*, *fructus.*

ILLICIUM ANISATUM.

Arbor Japonica.
Capsulæ coriaceæ sex vel octo, invicem stellatim junctæ, compressæ, uniloculares, monospermæ, ferrugineæ, aromaticæ, semina includentes fusca, splendentia, sapore et odore anisi.

† *ARABICUM GUMMI.*

MIMOSA NILOTICA.

Arbor in variis Africæ regionibus frequens.
Glebulæ magnitudinis diversæ, siccæ, duræ, rugosæ, diffractae splendentes, fere diaphanae, lutescentes, aut rubellae, mucilagineae. Rejiciantur frusta sordida, rubra, pulla et nigrescentia, aqua difficulter solubilia.

ARISTOLOCHIA ROTUNDA, radix.

ARISTOLOCHIA ROTUNDA.

Planta perennis Europæ meridionalis.
Radix compacta, ponderosa, subglobosa, tuberosa, cortice crasso fusco, interne ex albo lutea, saporis amaro-acris, odoris fortis, nauseosi.

ARMORACIA, RAPHANUS RUSTICANUS, radix recens.

COCHLEARIA ARMORACIA.

Planta perennis; quæ in hortis colitur, fere sola usui inservit.

Radix magna, crassa, albida, succulenta, principio volatili peracri insignis.

† *ARNICA*, *radix*, *flores*.

ARNICA MONTANA.

Planta perennis; quæ in hortis colitur fere iners; præ reliquis præstat sponte crescens in Helvetia et Italia, cujus radix seligatur crassior.
Radix varie contorta, fibrosa, subamara, acris, fusca.
Flores compositi, lutei, ex acri amari; squamulis calycinis brevioribus, non setosis, apice purpureis.
Ne confundatur cum Inula dysenterica, *cujus inflorescentia est paniculata, quæ uniflora, bi- vel triflora in* Arnica. *Folia cæterum sunt cordato-oblonga, amplexicaulia, ab* Arnicæ *foliis ovatis, basi liberis dignoscenda.*

ARUM, radix recens.

ARUM MACULATUM.

Planta perennis in nemoribus et umbrosis Europæ temperatioris locis.
Radix tuberosa, subrotunda, alba, magnitudine fere ovi columbini, farinosa, friabilis; recens acerrima, siccata, multo mitior. Quæ autumno colligitur, efficacior.

† *ASA*

† *ASA FOETIDA*, *gummi resina.*

FERULA ASA FOETIDA.

Planta perennis Persiæ.
Substantia resinoso-gummea, viscida, consistentiae cerae, albo-lutea, vel fusco-rosea, particulis diaphanis intermixtis, odoris alliacei, nauseosi, maxime penetrantis, saporis acris amaricantis.

ASARUM, radix, folia.

ASARUM EUROPÆUM.

Planta perennis Europæa.
Radix fibrosa, ex griseo-fusca, saporis amaro-acris, subaromatici, nauseosi, odoris gravis, ad valerianam accedentis.
Folia reniformia, inodora, sapore nauseoso, acriusculo, in recentibus magis acri.

† *AURANTIUM CURASSAVICUM et HISPALENSE*, *folia et flores, nondum aperti, recentes; fructus immaturi; fructus corticis exterior pars siccata, vel recens, flavedo.*

CITRUS AURANTIUM.

Arbor in Europa meridionali et in Oriente frequens; apud nos in hybernaculis culta.
Folia ovata, appendice cordata ad basin aucta; saporis amaricantis, calidiusculi, odoris fragrantis.

Florum, qui Naphæ *dicuntur, ſapor amaricans; recentium odor ſuaviſſimus, ſiccatorum vix ullus.*
Fructus immaturi ceraſi magnitudinis, ſiccati ex viridi pulli; grate aromatici, amari.
Cortex fructus maturi aromaticus, grate amarus; Corticis pars exterior flavedo dicitur.

† *AVENA, ſemen.*

AVENA SATIVA.

Sponte nascens in Inſula Juan Fernandez, item in Sicilia; copioſe in nostra patria culta.
Semen oblongum, farinoſum, utrinque extenuatum, altero extremo latiori, ſulco uno medio, in longitudinem abeunte, distinctum.

† *BARDANA, radix.*

ARCTIUM LAPPA.

Planta biennis, ubique obvia, in hortis Nordvicenſibus, aliisque culta.
Radix fuſiformis, ramoſa, levis, ſpongioſa, fusca, ſaporis acri-ſubdulcis.

BASILICUM, herba.

OCYMUM BASILICUM.

Planta Indiæ indigena, annua, in hortis frequenter apud nos culta.

Her-

Herba fragrans, minutim pubescens, foliis petiolatis, ovatis, glabris, integerrimis, ſubtus punctis notatis.

BECCABUNGA, herba virens.

VERONICA BECCABUNGA.

Planta perennis, ad rivos, in foſſis et locis humidis copioſa.
Herba amaro-adſtringens, racemis lateralibus, foliis ovatis, planis, caule repente.

BELLADONNA, radix, folia.

ATROPA BELLADONNA.

Planta perennis Europæa, in ſylvis cæduis, aliisque locis deſertis umbroſis; in patria rariſſime viſa, ſponte nascens; cultura imminuuntur vires.
Radix ſumme narcotica, ſublignoſa, craſſa, ramoſa, geniculata, ſordide lutea.
Folia ovato-lanceolata, lurida.

BENZOË, ſeu GUMMI BENZOËS, ſeu ASA DULCIS, reſina.

STYRAX BENZOË Dryanderi.

Arbor Indiæ orientalis.
Reſina dura, friabilis, ſubfusca, granulis candidis et obſcurioribus variegata, ſubpellucida, fragrans, præcipue prunis inſperſa.

BETULA, folia tenerrima.

BETULA ALBA.

Arbor in ſylvis frequens.
Folia ovata, acuminata, ſerrata, odoris balſamei, ſaporis amaro-adſtringentis.

BISTORTA, radix.

POLYGONUM BISTORTA.

Planta perennis, in montoſis et in pratis humidis. Radix fere digitum craſſa, ſubcylindrica, flexuoſa, rugis annularibus obſeſſa, fusca, vel ex ſpadiceo nigricans, intus rubelli coloris, ſaporis intenſe austeri.

† *BOVISTA.*

LYCOPERDON BOVISTA.

Fungus in pratis et pascuis ſterilibus.
Fungus ſaccatus, lividus, pulvere fusco dives.

BRITTANICA HERBA ſive HYDROLAPATHUM, radix.

RUMEX AQUATICUS.

Planta perennis, ad ripas fluviorum et in paludibus frequens.

Ra-

Radix grandis, annulis cincta, externe nigricans, interne flava, sapore manifeste austero et amaro.

† *BRYONIA, radix.*

BRYONIA ALBA vel DIOECA Jacq.

Planta perennis, in locis umbrosis frequens.
Radix fusiformis, valde crassa, alba, in taleolas transversas dissecatur, annulis sibi invicem incumbentibus, et radiis ex centro ad peripheriam ductis, conspicuas. Sapore gaudet amaro-acri.

CACAO, fructus.

THEOBROMA CACAO.

Arbor Americæ calidioris indigena.
Fructus ovatus, apice obtuso, diametri trium circiter pollicum, longitudine fere sex.
Intra corticem carnosum pulpa albida, butyracea, dulcis, subacida. Mediam sedem nuclei circiter viginti quinque occupant, saporis unctuosi et amaricantis, magnitudine et figura amygdalas quodammodo referentes.

† *CAJEPUT, oleum.*

MELALEUCA LEUCADENDRA.

Arbor Indiæ orientalis.

Est

Est oleum æthereum, ex destillatione foliorum in Insula Banda productum, limpidum, origine flavescens, dein viride, odoris fortis camphoracei, saporis aromatici, fortis, cardamomi instar. Negligatur profunde viride, minusque pellucidum.

† *CALAMUS AROMATICUS. Vid. ACORUS.*

† *CAMPECHENSE LIGNUM.*

HÆMATOXYLON CAMPECHIANUM.

Arbor Americæ calidioris.
Lignum durum, grave, affatim rubrum, saporis subadstringentis, subdulcis.

† *CAMPHORA.*

LAURUS CAMPHORA.

Arbor Indiæ orientalis, præsertim in Japonia frequens.
Sit nivea, splendens, subdiaphana, pinguiuscula, tota volatilis, odoris specifici fragrantis, saporis acris, aromatici. Rudis ex India allata in propriis officinis Amstelædamensibus depuratur.

CANELLA ALBA, cortex internus.

CANELLA ALBA.

Arbor in America vulgaris.
Cortex arboris internus in formam tubulorum convolutus, solidus, at fragilis, extus ex albo flavus,

vel

vel pallide griseus, lineis transversis rubellis notatus; superficies interna albicans; saporis acris, aromatici, quodammodo caryophyllacei.

CANNABIS, semen.

CANNABIS SATIVA.

Planta annua Europæ borealis.
Semina rotunda, glabra, binis valvis, oleoso-mucilaginea.

CARBONAS POTASSÆ VENALE.

CINERES CLAVELLATI, ALCALI VEGETABILE.

Massa salina, ex ustis ac dein elixatis præsertim lignorum duriorum cineribus in septentrionalibus Europæ regionibus nata, carbonate potassæ alcalino dives, et prætereæ sulphas potassæ, murias potassæ ac terram siliceam continens.
Depuratione præbet carbonas potassæ alcalinum. vid. *Sect.* 2da hunc titulum.
Eligatur vero hoc carbonas potassæ venale in massis fragilibus, cavernulosis, coloris grisei et ex griseo coerulescentis, facile in aëre libero deliquescentibus et maximam partem aqua solubilibus.
Terra silicea, quacum interdum adulteratur hocce carbonas potassæ venale, optime detegitur, affuso ad solutionem acido, quo copiosum terræ istius dejicitur præcipitatum.

Car-

Carbonatis hujus virtus a Pharmacopœo exploretur per ſolutionem ſulphatis aciduli aluminæ, in quam immisſum carbonatis potasſæ venalis lixivium eo copioſius præcipitatum format, quo majori copia potasſa pura affuerit.

Cineres puriores, qui ex America nomine *Paerlasch* afferuntur, Pharmacopœo præ aliis, vulgo venalibus, commendandi.

CARBONAS SODÆ VENALE.

SODA, NATRUM.

Glebæ terreo-ſalinæ, duritieï lapideæ, coloris griſeo-cœrulescentis, ſaporis ſalſi et lixivioſi, ex combustis et calcinatis plantis, ad littora marina creſcentibus, paratæ. Optima cenſetur ſoda *Hiſpanica*; quæ autem ex *Smyrna* affertur, et interdum apud nos venalis prostat, longe majorem ſalis alcalini copiam præbet, Pharmacopœis omnino commendanda.

CARDAMOMUM MINUS, ſemen.

AMOMUM CARDAMOMUM.

Est planta perennis in Ceylone et Malabaria.

Intra capſulam, tribus valvis præditam, membranaceam ſemina latent angulata, multiformia, rugoſa. Confracta fragrantem et fortem ſpirant odorem; ſapor grate aromaticus, amaricans, acris, camphoraceus.

† *CAR-*

† *CARDUUS BENEDICTUS*, *herba*, *summitates*.

CENTAUREA BENEDICTA.

Planta annua, in insulis Archipelagi frequens; in hortis Nordvicensibus aliisque culta.
Herba florens peramara, floribus compositis tubulosis croceis, calyce cum foliis adjacentibus ope texturæ arachnoïdeæ cohærente.

† *CARICA*, *fructus siccati*.

FICUS CARICA.

Arbor in Europa calidiori sponte nascens.
Fructus siccati, in formam orbicularem compressi, coloris ex albo flavescentis, pulpa subviscida, dulcissima; seminibus exiguis, lenticularibus. Eligantur majores ex Smyrna allatæ, dulcissimæ.

CARUI semen.

CARUM CARUI.

Planta perennis Europæ, præsertim meridionalis.
Semina aromatica, parva, incurva, oblonga, glabra, striata, fusco-pulla.

† *CARYOPHYLLATA*, *radix*.

GEUM URBANUM.

Planta perennis, petenda e solo sicciore.

Ra-

Radix oblonga, crassa, fibrosa, fusca, recens odorem caryophyllorum aromaticorum quodammodo spirans, sapore stiptico, aromatico.

† *CARYOPHYLLUS AROMATICUS, flores non aperti, siccati, oleum.*

CARYOPHYLLUS AROMATICUS, sive EUGENIA CARYOPHYLLATA Thunbergii.

Arbor Indiæ orientalis, in insulis Molluccis frequens.

Flores vix aperti, claviculis non absimiles, oleo æthereo turgentes, nigricantes, sapore acri, aromatico, et odore fragrantissimo.

Oleum sit album, limpidum, non spissum, at grave, grate aromaticum. Negligatur pullum, urens et acre, oleo terebinthinæ, unguinoso, aut extracto caryophyllorum spirituoso depravatum.

† *CASCARILLA, cortex.*

CROTON CASCARILLA.

Frutex calidarum Americæ regionum, in Peru et Peruaguay frequens.

Cortex frustis convolutis tubulosis compactus, ponderosus, lineam fere crassus, epidermide tectus albicante, rugosa, insipida, qua semota, ex fusco ferrugineus apparet. Sapor amarus, aromaticus, odor in accenso cortice fragrantissimus.

CAS-

CASSIA FISTULARIS, fructus.

CASSIA FISTULA.

Arbor in Arabia et utraque India sponte crescens. Siliquæ longæ, teretes, nigræ, dissepimentis pulpa nigra, dulci refertis; in quovis loculamento semen latet subrotundum, compressum, ferrugineum. Rejiciendæ leviores, et vetustate corruptæ.

† *CATECHU, vulgo TERRA JAPONICA, extractum gummi-resinosum.*

MIMOSA CATECHU.

Arbor Bengalensis.
Frusta gummeo-resinosa, dura, fragilia, sicca, nigricantia, si diffringantur splendentia, intense pulla, adstringentia. Rejiciantur sabulo aut sordibus inquinata, saliva non solvenda.

† *CENTAURIUM MINUS, summitates florentes.*

GENTIANA CENTAURIUM, seu CHIRONIA CENTAURIUM Curtis.

Planta annua, in locis sabulosis, præsertim marinis, frequens.
Herba florens, floribus rubentibus, foliis ovatis, amaritie acri celebris.

CEPA, bulbus recens.

ALLIUM CEPA.

Planta perennis, in hortis culta.
Bulbus rotundus depressus, ruber, membranis tunicatus, saporis acris, subdulcis, odoris fragrantis alliacei. Exstat varietas alba, quæ blandior.

CEREFOLIUM, herba recens.

SCANDIX CEREFOLIUM.

Planta annua, in usum culinarem et medicum culta.
Folia triplicato-pinnata, tenerrima, glabra, obtuse lobata, dilute viridia, odoris fragrantis foeniculacei, saporis grate subdulcis, aromatici.

CHAMÆDRYS, herba florens.

TEUCRIUM CHAMÆDRYS.

Planta perennis, in hortis botanicis culta.
Herba profundius viridis, odoris subaromatici, siccatione pereuntis, saporis amari subadstringentis; folia cuneiformi-ovata, incisa, crenata, petiolata; flores terni, caules procumbentes, subpilosi.

† *CHAMÆMELUM ROMANUM, flores.*

ANTHEMIS NOBILIS.

Planta perennis Europæ meridionalis, in hortis culta Nordvicensibus aliisque botanicis.

Flo-

Flores compositi radiati, receptaculo fere plano, paleaceo, flosculis disci flavis, aromaticis, flosculis radii albis, numerosis, brevibus, insipidis.

† *CHAMÆMELUM VULGARE, flores.*

MATRICARIA CHAMOMILLA.

Planta annua, in Belgio frequens, in hortis culta Nordvicensibus aliisque.
Flores compositi radiati, receptaculo nudo conico, flosculis disci flavis, amaris et fragrantibus, flosculis radii albis, reflexis, insipidis.

CHAMÆPITYS, herba florens.

TEUCRIUM CHAMÆPITYS.

Planta annua, in montosis regionum meridionalium locis sponte nascens, nostratibus culta.
Herba recens, viscida ad attactum, foliis trifidis linearibus integerrimis, floribus sessilibus lateralibus, solitariis, caule diffuso; odorem habet resinosum, instar pini, saporem amarum.

CHELIDONIUM MAJUS, herba recens.

CHELIDONIUM MAJUS.

Planta perennis, in ruderibus et ad sepes copiosissima; in hortis Nordvicensibus aliisque culta.
Folia tenuia et mollia, coloris ex flavo dilute viridis,

dis, ſaporis amari et acris, odoris ingrati, gravis, ſucco croceo ſcatentia.

CHINA, radix.

SMILAX CHINA.

Frutex Indiæ orientalis, in imperio Chinenſi frequens.

Radix nodoſa, magna, ſubmucilaginea, ſubdulcis, cortice tenui rufescente veſtita, intus pallide rubra.

† *CHINA CHINA, CORTEX PERUVIANUS FUSCUS.*

CINCHONA OFFICINALIS.

Arbor Peruviana, nuper etiam in ſylvis provinciæ, cui nomen Terra-Firma est, detecta.

Cortex ex amaro ſubaromaticus et ſubadſtringens. Eligantur frusta tenuia, convoluta, fusca, et lichene albo veſtita, ſolida, ponderoſa, quæ diffracta, non fibroſa, aut pulverulenta, ſed particulis, ad ſolem ſplendentibus, conſpicua. Ne autem frusta craſſiora, cæterum iisdem notis ornata, rejiciantur.

CHINA CHINA, CORTEX PERUVIANUS REGIUS ſeu FLAVUS.

CINCHONÆ ſpecies, nondum definita.

Cortex ex Peru allatus, craſſior et magis lignoſus, qui colore cinnamomeo et principio amaro ſubaromatico omnibus aliis cinchonæ corticibus antecellit. Differunt binæ hæ ſpecies a *Cortice novo* ſeu *Cinchonæ*

Su-

Surinamensis, præsertim eo, quad hic vestitus epidermide profundius et sordide pulla, hinc inde cinerea, lineis aliquanto prominentibus et in longitudinem serpentibus notata. Cæterum parenchyma, pallidius pullum, ad fibrarum directionem facile se discerpi patitur. Sapor quam maxime amarus.

Nuper alia corticis species in usum medicum est recepta, Regio affinis: ab hoc autem dignoscenda colore pallidiore, epidermide cinereo-fusca, et sapore peramaro. Resina cæterum minus dives.

† *CHINA CHINA, CORTEX PERUVIANUS RUBER.*

CINCHONÆ species, nondum definita.

Cortex ex fusco ruber, cujus frusta ponderosiora, plerumque etiam crassiora occurrunt, non convoluta quidem, at vero concava; si diffringantur, fibrosa. Principio resinoso et adstringente præ cæteris cinchonæ corticibus eminet. Lignum, cortici vetustiori sæpe adhærens, rejiciatur.

† *CICHOREUM, radix, herba racens.*

CICHOREUM INTYBUS.

Planta biennis, frequenter culta, sponte nascens vero reliquis præstat.

Radix fusiformis, subflava, crassitie pollicis, lactescens, saporis amaricantis.

Herba, floribus geminis sessilibus, foliis runcinatis; saporis amari, subacris.

† *CICUTA, herba.*

CONIUM MACULATUM.

Planta biennis, in umbrosis, ad sepes et vias, in locis, ruderibus refertis, indigena; altero anno colligenda ante florum expansionem ex locis sicciori-bus, præsertim ad margines fossarum sicciores, et probe siccata in vasis clausis servanda. Culta in hortis botanicis passim occurit ferme iners.

Folia sunt petiolata, tripinnata, aut quadripinnata cum impari, pinnis oppositis, foliolis lanceolatis, pinnatifidis, venosis, nudis, nitidis, supra plane, infra pallide viridia, trita odoris peculiaris virosi, lotio felium, sive cantharidibus similis, saporis subdulcis, subacris.

Distinguitur hæc planta ab affini Cicuta virosa *caule maculato; ab* Aethusa Cynapio, *quod huic folia sint ex nigro-viridia, cum pagina inferiori nitidissima.* Chærophylli sylvestris *caulis non est maculatus, at angulatus, et deficit involucrum, quo gaudet Conium maculatum.* Chærophylli temulenti *denique caulis scaber et folia hirsuta.*

Conii vires suspectæ habentur, si, dum teratur herba, odorem sibi peculiarem non spiret.

† *CINNAMOMUM CEYLONENSE, cortex, oleum.*

LAURUS CINNAMOMUM.

Arbor Ceylonensis, quod ad corticem præstantissima. Cortex tenuis, flexilis, in cannulam longam convolutus, li-

lignosus, levis, subtenax, diffractus fibras largiens, coloris ex rubicundo flavi, subinde pullum quodammodo referentis, saporis aromatici subacris, subdulcis cum levi adstrictione, odoris gratissime fragrantis.

Oleum æthereum, albo-flavescens, aqua gravius, saporis peracris, aromatici, odoris gratissimi.

† *CITRUS, fructus, horumque corticis pars exterior recens et sicca.*

CITRUS MEDICA.

Arbor Europæ australis indigena.

Fructus sunt ovales, apice in papillam desinentes, basi obtusiore, intus pulpa membranosa, acida; extus cortice gibboso, flavo, folliculis oleiferis.

Cortex exterior recens, fragrans, saporis aromatici; corticum siccatorum sapor subamarus, calidus.

† *COCHLEARIA, herba recens.*

COCHLEARIA OFFICINALIS.

Planta annua, in aggeribus collibusque maritimis frequens, nostratibus culta.

Herba florens, principio acri, volatili; foliis radicalibus subrotundis, caulinis oblongis, sinuatis.

COLCHICUM, radix recens.

COLCHICUM AUTUMNALE.

Planta perennis, in pratis depressis Europæ australis.

Radix bulbosa, solida, carnosa, ab altera parte convexa, ab altera plana, cum levi scapi impressione, extus tunica pulla vestita, intus alba, odoris fortis, nares ferientis, nauseosi; saporis, dum recens est, acris: colligenda tempore autumnali.

† *COLOCYNTHIS, fructus.*

CUCUMIS COLOCYNTHIS.

Planta annua, climatis calidioris, circa Aleppo frequens.

Pepo globosus, pugni quandoque magnitudinis, albidus, levis, intra carnem fungosam, amaram, acrem, copiosis cellulis semina oblonga, plana includens.

† *COLOPHONIUM, resina.*

PINUS SYLVESTRIS.

Arbor Europæ borealis frequentissima, nobis culta. Resina pulla, diaphana, dura, fragilis, super ignem liquata, aut inter digitos trita, fragrans. Quæ aliunde petitur, paratur ex resina communi, quæ tempore hyemali e Pini sylvestris trunco, aut sponte, aut post inflicta vulnera stillat. Amstelædami autem habetur ex residuo post olei terebinthinæ præparationem.

CO-

COLUMBO, radix.

an BRYONIÆ ſpecies?

Affertur ex inſula Ceylon; creſcit in Africa, prope Mozambique.
Radix lignoſa, extus ſubfusca, intus ex viridi lutea, in taleolas transverſim ſecta, ſaporis amaro-adſtringentis.

CONSOLIDA MAJOR, SYMPHYTUM, radix.

SYMPHYTUM OFFICINALE.

Planta perennis in pratis humidis, ad foſſas et rivos copioſisſima; in hortis culta.
Radix magna, digitum circiter craſſa, recens carnoſa et viscida, ſiccata vero et diu ſervata, ſpongioſa et farinoſa, fragilis, extus nigra, interne alba; ſaporis mucilaginoſi et viscidi.

CONTRAJERVA, radix.

DORSTENIA CONTRAJERVA.

Planta perennis Peruviana.
Radix capitulo oblongo, nodoſo, et tuberculoſo, multas fibrillas tenues emittente, extus rufa; ſaporis acri-amaricantis, et odoris aromatici.

† *COPAIVÆ BALSAMUM, balſamum.*

COPAÏFERA OFFICINALIS.

Arbor Americæ meridionalis, in Braſilia frequens.

Balſamum pellucidum, flavescens, aromaticum, non ingratæ amaritudinis. Varia depravatur ratione, præſertim vero admiscendo terebinthinam aut oleum amygdalarum. Quo facto, facile dignoscas terebinthinam, ſi balſamum ferro candenti inſpergatur, aut ſuper papyrum extenſum igni admoveatur; oleum vero amygdalarum eo, quod, in ſpiritu vini vel fortiori non ſolubile, fundum petat, ſoluto copaïvæ balſamo.

CORIANDRUM, ſemen.

CORIANDRUM SATIVUM.

Planta annua Europæ meridionalis, in hortis frequenter culta.
Semina globoſa, ſublutea, odoris aromatici.

† *CROCUS, florum ſtigmata.*

CROCUS SATIVUS, var. AUTUMNALIS, ſeu CROCUS AUTUMNALIS Hoffmanni.

Planta perennis, in Europa meridionali et in Oriente ſponte nascens.
Stigmata e floribus reſecta et ſiccata, verſus apicem latiora, principio luteo tinctorio ditisſima.
Carthami tinctorii *flosculi, croco intermixti, colore dilutius luteo, baſi non pallescente et apice quinquefido discernuntur. Fraus cum* Calendulæ officinalis *flosculis, tam florum habitu diverſo, quam infuſo ſaturatiore et magis rubro, facillime dijudicanda.*

† *CRY-*

† *CRYSTALLI TARTARI, qui, in pulverem redacti CREMOR TARTARI dicuntur.*

TARTRIS ACIDULA POTASSÆ.

Tartarus vini crudus, prægressa solutione in aqua, et cum argillis pinguibus coctione, in crystallos redactus, parvas, non pellucidas, albas, in massas non regulares vulgo aggregatas, constantes potassa et acido tartaroso, in aqua parum solubiles.

CUBEBA, fructus.

PIPER CUBEBA sive PIPER CAUDATUM Bergii.

Frutex Indiæ orientalis.
Fructus pedunculati, globosi, nigricantes, amaro-aromatici.

CUCUMIS, semen.

CUCUMIS SATIVUS.

Planta annua ignotæ patriæ, copiosissima in hortis colitur.
Semina ovato-oblonga, plana, compressa, utrinque angustiora, margine acuto; seminum arillus coriaceus, medulla alba, dulci, oleoso-mucilaginosa.

CU-

CULILAWAN, cortex, oleum.

LAURUS CULILABAN.

Arbor diffuſe per Inſulas orientales crescens.
Cortex convexo-planus, amplus, coloris flavo-rufi, extus vestigia quædam epidermidis griſeæ relinquens, rugoſus, intrinſecus glaber; ſapor ejus acris, aromaticus, cum levi adſtringentis et mucilaginoſi ſenſu mixtus.
Oleum æthereum, flavo-pullum, acre, odoris mixti, moſchatellini quippe et caryophyllacei.

† *CUMINUM, ſemen.*

CUMINUM CYMINUM.

Planta annua orientalis.
Semina aromatica, oblonga, ſtriata, ſeminibus carui ſimilia, at duplo majora.

CURCUMA, radix.

AMOMUM CURCUMA Jacquini.

Planta perennis Indiæ orientalis.
Radix oblonga vel globoſa, rugoſa, ponderoſa, extus lutea, intus apprime flava; ſaporis amaro-aromatici.

† CY-

† *CYDONIA MALA*, *ſemen.*

PIRUS CYDONIA.

Arbor Cretenſis, ubique fere culta.
Semina oblongo-acuta, nitida, fusca, mucilaginoſa.

DAUCUS SYLVESTRIS, ſemen.

DAUCUS CAROTA.

In campis pratisque crescit; pro ſeminibus eligatur varietas *ſylvestris*,
Semina ſubrotunda, griſea, aſpera, marginibus coſtisque ſetoſis, aromatica, fragrantia.

DICTAMNUS, radix.

DICTAMNUS ALBA.

Planta in montoſis Germaniæ, præſertim meridionalis, regionibus perennis.
Radicis pars corticea, in cylindrum convoluta, alba, ſapore ſubamaro et leviter acri. Quo tenuior, eo efficacior habetur.

DIGITALIS, folia.

DIGITALIS PURPUREA.

Planta biennis ſylvestris, in hortis culta. Petatur autem ſtrips inculta ex Anglia, aut Helvetia.
Folia ovato-oblonga, acuta, rugoſa, crenata, hirſuta, ſaporis amari acerrimi.

† *DRA-*

† *DRACONIS SANGUIS*, *resina.*

CALAMUS DRACO.

Arbor Indiæ orientalis.

Sanguis Draconis in guttis, seu lacrymis, *foliis involutus, glebæ sunt resinosæ, diversæ magnitudinis, fragiles, obscure rubræ, tritæ autem in pulverem, cinnabarinæ, flammæ admotæ odorem styracinum spargentes.*

Sanguis Draconis in placentis, *massæ grandiores, magis rubicundæ, at vilioris pretii.*

DULCAMARA, stipites.

SOLANUM DULCAMARA.

Strips perennis frutescens, sarmentosa, ad sepes, in fruticetis, in locis humidis indigena.

Stipites flexiles, pennam anserinam et ultra crassi, plures pedes longi, ramosi, glabri, lignosi; juniorum cortex externe et interne viridis, adultorum et majorum e flavo pullus, vel e fusco viridis, rugosus et hiscens. Sapor primo subamarus, dein dulcis, odor mucidus, virosus, præsertim in recentibus.

ELEMI, resina.

AMYRIS ELEMIFERA.

Arbor orientalis.

Resinæ orientalis frusta globosa, vulgo foliis palmæ obvoluta, resinosa, viridi-lutescentia, extus dura, intus molliora, odore fœniculaceo.

† *ENU-*

† *ENULA vid. HELENIUM.*

† *ERYNGIUM, radix.*

ERYNGIUM CAMPESTRE.

Planta perennis, copiosa in locis sabulosis incultis. Radix prælonga, fusca, saporis subdulcis; diutius masticata, aroma leve et mitem acrimoniam prodit.

EUPHORBIUM, gummi-resina.

EUPHORBIA OFFICINARUM.

Frutex Africæ meridionalis.
Succus lacteus, in aëre sponte exsiccatus, exhibet frusta gummeo-resinosa diversæ magnitudinis, rotundata, aut angulata, fragilia, flavescentia, acerrima, urentia, inodora, nisi accensa.

† *FILIX MAS, radix.*

POLYPODIUM FILIX MAS.

In sylvis et locis umbrosis frequens.
Radix oblonga, paleacea, squamosa, tuberculis confertis, ovatis, incurvis, pullis et nigricantibus; saporis adstringentis, subamari, quodammodo acris. Radicis recentis color subviridis.

FLAM-

FLAMMULA JOVIS, folia, flores.

CLEMATIS ERECTA.

Planta perennis in collibus et dumetis Auſtriæ, Hungariæ, Valeſiæ et alibi in Helvetia.

Folia pinnata, foliola ovato-lanceolata integerrima, caule erecto; recentia in lingua et faucibus ardorem cient, diutius in ore retenta, os inflammant, veſiculas excitant et exulcerant.

Sicca mitiora ſunt, utpote ſaporis acido-ſubdulcis, leniter adſtringentis, parum urentis.

Flores tetrapetali et pentapetali, pariter acres, ſive ſicci explorentur, ſive in infuſo.

Ne ſubſtituatur huic plantæ *Clematis Vitalba*, caule ſcandente, et foliorum pinnatorum foliolis cordatis; neque *Clematis Flammula*, quæ itidem ſcandens, et foliis inſtructa inferioribus pinnatis laciniatis, ſummis ſimplicibus integerrimis.

FOENICULUM, radix, ſemen.

ANETHUM FOENICULUM.

Planta biennis Europæ, in hortis culta.

Radix aromatica, ſubdulcis, ramoſa, alba.

Semina ſubdulcia, aromatica, oblonga, ſtriata, pallida.

Datur varietas, quæ vulgare Germanicum *dicitur, ſeminibus exilioribus, pulli coloris, magisque aromaticis.*

† FOE-

† *FOENUM GRÆCUM, semen.*

TRIGONELLA FOENUM GRÆCUM.

Planta in Europa meridionali annua.
Semina mucilaginea, subaromatica, subquadrangularia, pullo-lutea, odore nauseoso ingrata.

FRAXINUS, cortex.

FRAXINUS EXCELSIOR.

Arbor in sylvis frequens.
Corticis recentis color extrinsecus cinereus, interne ex albo flavescit, siccati color externe fuscus, intus luteo-pullus, compages subfragilis, sapor amarus et austerus. Eligatur ex ramis erassioribus, vel trunco.

FUMARIA, herba recens.

FUMARIA OFFICINALIS.

Planta annua frequens.
Caulis diffusus, folia composita, foliola trilobata, tenerrima; sapor peramarus.

GALANGA MINOR, radix.

MARANTA GALANGA, sive ALPINIA GALANGA Swartzii.

Planta perennis Indiæ orientalis.

Radix ramosa, nodosa, teres, annulis transversim cincta; extus et intus profunde rufa; saporis acris, aromatici.

† *GALBANUM, gummi-resina.*

BUBON GALBANUM.

Frutex in Arabia, Syria, Mauritania et Indiæ orientali sponte nascens.
Gummi-resina ex frustulis siccis flavescentibus, et albis nitidis, facile diffringendis, aggregata, odoris fortis, plerisque ingrati, saporis subamari, acris. In granis allata semipellucidis, albicantibus, vel flavo-rubellis optima habetur.

† *GALLÆ QUERCINÆ.*

QUERCUS CERRIS.

Gallæ tumores sunt morbosi, punctura Cynipis Quercus folii *et* Cynipis Quercus inferæ L. *in foliis producti, globosi, verrucosi. Aleppenses majores, duriores, coloris cœrulescentis, reliquis magis adstringentes, et imperforatæ præferendæ sunt.*

† *GAMBOGIA, GUMMI GUTTÆ, gummi-resina.*

STALAGMITES CAMBOGIOÏDES Murrayi, seu GUTTÆFERA VERA Koenigii.

Arbor Indiæ orientalis.

Gum-

Gummi-resina ex arbore stillans, calore solari siccata, flavo-rufa, opaca, fractura nitens, friabilis, ex acri subdulcis. Rejicienda grumosa, aut sorde contaminata.

GENISTA, summitates.

SPARTIUM SCOPARIUM.

Fruticulus in locis arenosis et elatis sponte nascens. Foliis ternatis, solitariis, ramis inermibus angulatis; sapor inest amarus, nauseosus.

† *GENTIANA RUBRA, radix.*

GENTIANA LUTEA.

Planta in Alpibus perennis.
Radix admodum longa, rugis annularibus conspicua, crassitie pollicis et quod excurrit, extus fusca, intus lutea; saporis amarissimi.

GEOFFROYA JAMAÏCENSIS, cortex.

GEOFFROYA JAMAÏCENSIS, seu GEOFFROYA INERMIS Wrightii.

Arbor procera in Jamaica frequens.
Cortex intus luteus, extus epidermide cinereo-fusca, cortice sequente ex viridi flavo, nonnihil amarus et subausterus.

GEOFFROYA SURINAMENSIS, cortex.

GEOFFROYA SURINAMENSIS, seu GEOFFROYA INERMIS Swartzii.

Arbor Americæ meridionalis, in nemoribus Surinamensibus frequens.

Cortex externe algis cinereis tectus, crassus, fibrosus; in superficie externa colorem habet ex fusco nigricantem; intus coloris est ferruginei, subfusci. Diu servatus, inodorus est, recens advectus, odoris nauseosi; sapor leviter amarus et nonnihil austerus.

† *GLYCYRRHIZA, LIQUIRITIA, radix, succus sive extractum.*

GLYCYRRHIZA GLABRA et GLYCYRRHIZA ECHINATA.

Glycyrrhiza glabra, *planta perennis, in Europa meridionali frequens.*

Glycyrrhiza echinata, *perennis Russiæ meridionalis.*

Radix extus cinereo-fusca, rugosa, intus lutescens, saporis dulcis, dein nonnihil amari.

Succus inspissatus vel extractum forma subcylindrica, longitudine sex pollicum, crassitie unius, vel majori; foliis laurinis obvolutum, in fractura splendens, dulcis saporis cum levi amaritie. Rejiciatur empyreuma sapiens vel olens, et quod cupro inquinatum est.

† GRA-

† *GRAMEN*, *radix*.

TRITICUM REPENS.

Planta perennis, in agris, ruderibus refertis, et pratis maxime vulgaris.
Radix repens, glabra, longissima, geniculata, albescens; saporis dulcis.

GRANA PARADISI, semen.

AMOMUM GRANUM PARADISI.

Arbor potissimum Indiæ orientalis.
Semina turbinata, angulosa, rugosa, sublucida, odoris aromatici, saporis acris, fervidi, ad piperinum accedentis.

GRANATUM, cortex fructus, flores, balaustiorum dicti.

PUNICA GRANATUM.

Arbor præsertim in Hispania frequens.
Cortex fructus peradstringens, ex fusco rubet.
Flores balaustiorum, hemisphærici, læte rubri, calyce coloris obscuri, saporis adstringentis. Ex varietate *Punicæ Granati* desumuntur.

GRATIOLA, herba, radix.

GRATIOLA OFFICINALIS.

Planta præsertim Europæ meridionalis, apud nos rarior, culta in hortis.

Herba amaro-acris, foliis lanceolatis ferratis, glabris; floribus ringentibus, subalbidis, diandris. Radix cylindrica, calamum crassa, geniculata, alba; valde amara, acris.

† *GUAJACUM, lignum, cortex, gummi-resina.*

GUAJACUM OFFICINALE.

Arbor Indiæ occidentalis et Americæ meridionalis. Lignum ponderosum, compactum, fusco-ferrugineum, aquæ specifice gravius, resinosum; odoris, si calefiat, aromatici; saporis subacris et nonnihil amari. Alburnum coloris multo dilutioris, albidi. Cortice vestitur tenui, ex lamellis cinereis aut fuscis constructo, extus scabro, fissurisque variis et maculis ex livido griseis notato. Corticis sapor acris. Succus arboris stillatitius gummeo-resinosus, inspissatus, ex pullo virescens, in magnis frustis inæqualibus advehitur; sæpe fragmentis corticis unitus, fragilis, friabilis, diffractus splendens, frustis minoribus pellucidis, submarus, acris, urens, prunis inspersus odoris grati specifici. Exsudat sponte per corticem de arboribus ætate provectioribus, arte facto longe præstantior; qui majori in spiritu vini solubilitate præsertim dignoscitur a gummi-resina nativa. Trita hæc cum mucilagine gummi arabici, et sufficiente aquæ quantitate diluta, cæsio colore tingitur. Solutio alcoholica, aquæ mixta depuratæ, continuo lacteum induit colorem, post aliquot horas cœruleum, in limpidum aut viridem vertendum, si alcali causticum fluido instilletur. Si vero colophonio, alcali cau-

caustico non solvendo, depravata fuerit gummi-resina, turbidus evadet liquor.

† *HEDERA TERRESTRIS, herba.*

GLECHOMA HEDERACEA.

Planta perennis, ubique frequens et culta.
Folia reniformia, crenata, subaromatica.

† *HELENIUM, ENULA, radix.*

INULA HELENIUM.

Planta perennis in pratis succulentis et humidioribus. Colitur in hortis Nordvicensibus aliisque.
Radix fusiformis, carnosa, crassa, recens extus pulla, siccata vero glauca, intus alba, mucilaginea, aromatica, ex acri subamara: recentis odor camphoraceus.

HELLEBORUS ALBUS, VERATRUM, radix.

VERATRUM ALBUM.

Planta perennis in montosis Austriæ aliisque locis, ut et in America septentrionali crescens.
Radix conico-cylindrica, apice obtuso, subinde ultra pollicem crassa, numerosis, albicantibus vel badiis, oblongis fibrillis stipata, vel resectarum vestigiis insignita; extus fusca, vel grisea, intus alba, saporis acerrimi, subamari, nauseosi et urentis; tritura in pulverem redacta sternutationem excitare solet.

HELLEBORUS NIGER, MELAMPODIUM, radix.

HELLEBORUS NIGER.

Planta perennis alpina Helvetica; in hortis culta negligatur.

Radicis caput subglobosum, innumeras fibrillas crassiores emittens, extus nigras, intus albas; sapor subacerbus, acris, nonnihil amarus. Minores fibrillæ crassioribus ipsique radicis tuberi virtute præstant medica.

Plures quandoque radices pro vera *Hellebori nigri* radice divenduntur, ut v. c. *Trollii Europæi*, *Actææ spicatæ*, aliarumque plantarum, præsertim vero radix *Adonidis vernalis*; ab *Helleboro nigro* autem distinguenda, capite breviori, crebrioribus, carnosioribus et subtilioribus fibrillis; nigredine præterea insigniore ad superficiem externam, ad internam magis candida albedine, odore fortiori et sapore acri et amaro, dulcedini mixto.

HIPPOCASTANUM, cortex.

ÆSCULUS HIPPOCASTANUM.

Asiæ septentrionalis indigena, culta vero frequens in Belgio.

Cortex admodum adstringens, amarus, epidermide tectus ex rubro fusca, intus ferrugineus.

HOR-

HORDEUM, ſemen crudum, mundatum et perlatum, maltum.

HORDEUM VULGARE.

Gramen annuum ignotæ patriæ, nobis cultum.
Semen integrum, prout colligitur, *Hordeum crudum* vocari ſolet; quod cortice molendo exutum est, *mundatum*, et quod mola in formam ſphæricam redactum, *perlatum* dicitur.
Hordei ſemina cruda, aqua frigida emollita, et tum per ſtrata, in loco, per quem aëri liber est transitus, diſtributa, germinantia, ac dein vel aëri libero, vel furni ope, ſubito ſiccata, *maltum* ſiſtunt.

† *HYOSCYAMUS*, *folia recentia*, *ſemen*.

HYOSCYAMUS NIGER.

Planta biennis in Europæ ruderibus refertis, pinguibus agris, culta in hortis botanicis.
Folia amplexicaulia, ſinuata, hirſuta, viscida, odoris ſumme narcotici.
Semina parva, ſubrotunda, cinerea.

HYPERICUM, ſummitates florentes.

HYPERICUM PERFORATUM.

Planta perennis pratenſis et ſylvestris; colitur in hortis.
Herba florens ſubacris, foliis ovato-obtuſis, pellu-

cidis punctatis, petalis luteis oblique truncatis, crenulatis, puncto atro inter crenam notatis.

† *HYSSOPUS, herba.*

HYSSOPUS OFFICINALIS.

Fruticulus spontaneus, non admodum frequens, in hortis botanicis colitur.
Herba foliis lanceolatis, spicis secundis, inter stirpes refertur aromaticas.

† *JALAPPA, radix.*

CONVOLVULUS JALAPA?

Planta perennis Americæ meridionalis.
Radix oblonga, integra, vel in taleolas disfecta, compacta, ponderosa, resinosa; cortice rugoso, fusco-nigricante cincta, interne grisea, striis nigris variegata. Saporis est, uti odoris, acris, nauseosi; quo nigrior, eo resina ditior et efficacior.

IMPERATORIA, radix.

IMPERATORIA OSTRUTHIUM.

Planta perennis, in montibus Helvetiæ aliisque sponte crescens.
Radix teres, oblonga, nodosa, nonnihil plana, annulata, geniculata, fibris instructa, griseo-nigra; saporis calidi, pungentis, aromatici, odoris Angelicæ non absimilis, sed validioris.

† *IN-*

† *INDICUM BALSAMUM* vid. *PERUVIANUM BALSAMUM.*

† *IPECACUANHA*, *radix.*

PSYCHOTRIA EMETICA?

Planta perennis, in Regno Mexicano præsertim frequens.

Radix cinerea est, intus alba, tenuis, varie flexa, rugis eminentibus inæqualibus distincta. Pars interior lignea est, fili instar per medium ducta, subflavescens, insipida. Corticis sapor amaro-acris et nauseosus, odor graviusculus, ingratus. — Pulvis diutius asservatus vires perdit, præsertim si lagena, operculo vitreo accurate claudenda, non servetur.

Adulteratur præsertim radice, habitu ac forma veræ Psychotriæ emeticæ *maxime affini, et difficulter ab hac dignoscenda, nisi quod falsa crassitiei sit vulgo majoris, et in pulverem trita, coloris cinereo-lutescentis.*

† *IRIS FLORENTINA*, *radix.*

IRIS FLORENTINA.

Planta perennis Italiæ, in Florentino tractu præsertim radicis causa colitur.

Radix frustum refert compactum, ponderosum, album, compressum, inæquale ex separata epidermide et fibrillis resectis. Odor est violaceus, sapor nonnihil amarus, subacris.

JU-

JUNIPERUS, lignum, baccæ.

JUNIPERUS COMMUNIS.

Arbor, ſeu frutex in ſabuloſis patriæ locis ſponte nascens.

Lignum, quod accenſum, aut raſum, gratum odorem ſpirat, albidum, ponderoſum, reſinoſum est. Fructus baccati integri, reſinoſi, odoris graveolentis et ſaporis ſubamari, aromatici, ſubdulcis.

KINO, ſeu GUMMI KINO, ſeu GUMMI GAMBIENSE, ſuccus induratus.

Ex arbore Africæ interioris, nondum ſatis cognita, incolis *Pau de Sangue* dicta.

Subſtantia dura, friabilis, rubro-nigricans, peradſtringens; frustula minora rubro-diaphana; aqua aut ſpiritu vini ſoluta ſulphas ferri colore viridi præcipitans. Subſtituitur quandoque Reſinæ ſpecies, ab hac distinguenda tenacitate ſua et odore ſpecifico.

LADANUM GUMMI, ſeu LABDANUM, reſina.

CISTUS CRETICUS.

Frutex in Candiæ collibus ſiccis et arenoſis crescens.

Reſina ſolida, nigra, ponderoſa, in gyros convoluta, in ſuperficie et fragmento ſubaſpera. Masticata ſtridorem quaſi ex arenulis admixtis edit ſapore ſubamaro; odor gratus; flamma admota, fumum ſuaveolentem ſpargit.

LA-

LAPATHUM ACUTUM, OXYLAPATHUM, radix.

RUMEX ACUTUS.

Planta perennis in locis humidis.
Radix cylindrica, extus fusca, amara, ſubadſtringens.

LAUROCERASUS, folia recentia.

PRUNUS LAUROCERASUS.

Frutex Europæ meridionalis et Orientis; in hortis colitur.
Folia lanceolato-ovata, ſempervirentia, nitida, dorſo biglanduloſa; ſiccata fere inſipida.

† *LAURUS, folia, baccæ, oleum, laurinum dictum.*

LAURUS NOBILIS.

Arbor Europæ meridionalis, in hybernaculis culta.
Folia lanceolata, integerrima, ſaporis amari, aromatici et ſubadſtringentis, odoris, dum fricantur, fragrantis.
Baccæ aromaticæ, oleoſæ, nigricantes.
Oleum expreſſione ex baccis elicitur in calidioribus Europæ regionibus, præſertim Italia. — Sit viridiflavescens, ſpisſum, quaſi granuloſum, odoris fortis, et ſaporis laurini. Rejiciatur intenſe viride, minus ſpisſum, æquabile, unctuoſum et odoris debilioris.
Adulteratio per adipem ſuillum dignoscitur ſolutione in æthe-

æthere, qui inde colorem lacteum contrahit; adulteratio autem per viride aeris tritura cum carbonate ammoniæ alcalino liquido, hinc cœrulescente.

LAVENDULA, ſpicæ florentes.

LAVENDULA SPICA.

Fruticulus Galliæ meridionalis; in hortis medicis colitur.
Spicæ florentes corollis ringentibus cœruleis, odoris gratisſimi, ſaporis ſubamari, calidi.

LEVISTICUM, radix.

LIGUSTICUM LEVISTICUM.

Planta perennis, in collibus maritimis ſponte nascens.
Radix fibroſa, craſſa, extus ferruginea, rugoſa, ſaporis calidi, ſubdulcescentis, odoris graveolentis nauſeoſi.

† *LICHEN ISLANDICUS, tota planta.*

LICHEN ISLANDICUS.

Perennis in Europæ ſylvis ſterilisſimis borealibus. Lichen ſubamarus, valde mucilaginoſus, coriaceus, ſinuatus, lacunoſus, ſuperficie altera cinereus, altera fuscus.

CORPORA EX REGNO VEGETABILI.

LILIUM ALBUM, bulbus, petala recentia.

LILIUM CANDIDUM.

Planta perennis in Syria, affinibus locis et Helvetia; frequens culta in hortis.
Bulbus ovatus, acuminatus, ſquamis carnoſis, laxis, albis, ſaporis ſubamari, viscoſi.
Petala recentia, mucilaginoſa, alba, fragrantia.

† *LINUM, ſemen, farina, oleum.*

LINUM USITATISSIMUM.

Planta annua ſativa, copioſe culta.
Semina oleoſo-mucilaginea, ovato-oblonga, compreſſa, margine acuto, pallide pulla, nitentia.
Farina, placenta, post olei expreſſionem de ſeminibus reſidua, in pulverem redacta.
Oleum, quod expreſſione e ſeminibus elicitur, ſit pellucidum, luteum, odoris ingrati, ſaporis pinguis, nauſeoſi, frigore non congelascens. — Uſui medico noxium turbidum, obſcure luteum, rancidum.

LOPEZIANA, radix.

MORUS INDICA?

Arbor orientalis?
Radix cylindrica, coloris ſtraminei; cingitur cortice fusco, tegmine molli, ſpongioſo, luteo, per ſtrata obſito. Exiliores crasſioribus virtute præſtant.

LY-

LYCOPODIUM, ſemina.

LYCOPODIUM CLAVATUM.

Paſſim in patriæ noſtræ ſylvis occurrit.
Pulvis flavescens ſubtiliſſimus, flammæ inſperſus cum fulguratione et ſtrepitu accenditur, aqua levior.

MACIS, oleum.

MYRISTICA MOSCHATA.

Oleum ſumme æthereum, ſaporis ſubacris, odoris aromatici, ut Macis, pellucidum, leve, ſubluteum. In vaſis fundo vulgo oleum ſpisſius, coloris obſcurioris, reperitur.

MAJORANA, herba.

ORIGANUM MAJORANA.

Planta annua Europæ meridionalis, in hortis cultâ Nordvicenſibus aliisque botanicis.
Herba aromatica, foliis ovalibus obtuſis, ſubtomentoſis, ex albo viridibus.

† *MALVA, folia, flores.*

MALVA SYLVESTRIS et ROTUNDIFOLIA.

Utraque est planta annua, in hortis culta.
Malvæ Sylvestris *folia ſeptem et quinque lobata, petiolis piloſis, mucilaginoſa.*

Mal-

Malvæ rotundifoliæ *folia cordato-orbiculata, subquinqueloba, mucilaginea.*
Flores mucilaginosi, corollis vel albis, vel cœrulescentibus, vel rubicundis; venis aut rubris, aut cœruleis pictis.

† *MANNA.*

FRAXINUS ROTUNDIFOLIA Mill. et FRAXINUS ORNUS Linn.

In Calabria et Sicilia frequentes.
Mense Junio et Julio succus viscidus magna copia ex trunco et arborum ramis sponte stillans, sauciato cortice, mense Augusto iterato elicitur.
Manna electa, *quam* Canellatam *vocant, frustis longioribus, lamellatis, extus convexis, intus concavis vel subplanis. Hac vilioris notæ est, quæ in officinis* Calabrinæ *vel* Sicilianæ *nomine venit.*
Præstantioris frusta sint leviora, sicca, non sordida, coloris albo-lutescentis aut rubescentis, diffracta succum dulcem continentia.

MARRUBIUM ALBUM, herba.

MARRUBIUM VULGARE.

Planta perennis, in agris, ruderibus consperſis, frequens, in hortis medicis culta.
Herba amara, foliis ovato-oblongis, crenatis, rugosis, hirsutis, ex viridi albicantibus.

MARUM SYRIACUM, herba.

TEUCRIUM MARUM.

Fruticulus Europæ meridionalis et Orientis, in Syria et Hiſpania frequens.

Herba aromatica, fragrantisſima, foliis integerrimis, ovatis, acutis, petiolatis, ſubtus tomentoſis, incanis.

† *MASTICHE*, *reſina.*

PISTACIA LENTISCUS.

Arbor inſularum Archipelagi.

Grana reſinoſa, ex albido citrina, friabilia, ſplendentia, diaphana, igni admota ſuaveolentia.

MATRICARIA, herba, ſummitates florentes.

MATRICARIA PARTHENIUM.

Planta perennis, in hortis Nordviceenſibus aliisque medicis culta.

Herbæ folia compoſita, plana, foliolis ovatis, inciſis, ſubpiloſis, pallide viridibus, odoris fragrantis, ſaporis valde amari.

Summitates florentes amaro-aromaticæ, floribus compoſitis, radiatis, disco flavo, radio brevi albo.

MECHOACANNA, radix.

CONVOLVULUS MECHOACANNA.

Planta perennis, luxurians in agris et ſylvis Americæ, præcipue Braſiliæ.

Ra-

Radix in taleolas conscisſa, diametri pollicis et ultra, compactas, albicantes vel albo-flavas, cortice griſeo obductas; ſubdulcis initio, dein ſubacris, ſubnauſeoſa.

MELILOTUS, ſummitates florentes.

TRIFOLIUM MELILOTUS OFFICINALIS. Var. FLORIBUS CITRINIS.

Planta biennis, per patriam frequens.
Rami florentes, floribus luteis, odoris proprii, aromatici.

MELISSA, herba.

MELISSA OFFICINALIS.

Planta perennis Europæ auſtralis, in hortis Nordvicenſibus aliisque culta medicis.
Herba foliis ovato-cordatis, villoſis, ſaporis aromatici, balſamici, odoris citrini.

MELO, ſemen.

CUCUMIS MELO.

Planta annua Tartarica, in hortis apud nos frequenter culta.
Semina pedicellata, ovalia, acuta, utrinque compreſſa, glabra, mucilagineſa, oleoſa.

† *MENTHA CRISPA, herba.*

MENTHA CRISPA.

Planta perennis, originis Sibiricæ, in hortis culta. Herba aromatica, foliis cordatis, dentatis, crispis, sessilibus.

† *MENTHA PIPERITIS, herba.*

MENTHA PIPERITA.

Planta perennis Anglicana.
Herba aromatico-camphoracea, foliis ovato-acutis, serratis, petiolatis.
Mentha viridis, *foliis lanceolatis, sessilibus, facile ab hac discernenda.*

MESEMBRYANTHEMUM CRYSTALLINUM, herba recens.

MESEMBRYANTHEMUM CRYSTALLINUM.

Planta annua in Græcia, prope Athenas.
Herba blande salina, refrigerans, saporis propemodum ut acetitis potassæ, foliis alternis, ovatis, papulosis, floribus sessilibus, albis.

† *MEZEREUM, cortex, Garou dictus.*

DAPHNE MEZEREUM et DAPHNE LAUREOLA.

Frutices in Gallia, Hispania et Germania meridionali frequentes, nobis culti.
Cortex peracris, tenuis, coloris straminei, tectus epidermide coloris obscurioris.

† *MIL-*

† *MILLEFOLIUM, folia, summitates florentes.*

ACHILLEA MILLEFOLIUM.

Planta perennis indigena, frequentissima.
Herba amaro-aromatica, foliis bipinnatis, nudis, laciniis linearibus, dentatis, caulibus sulcatis.

† *MOSCHATA, nucleus, ejus involucrum, Macis dictum, et oleum, quod oleum Moschatæ vel Nucistæ dicunt.*

MYRISTICA MOSCHATA, vel AROMATICA Thunb. OFFICINALIS Jacq.

Arbor insulæ Bandæ, inter Moluccas celebris.
Nuclei subrotundi, extus grisei, intus striis rubicundis variegati, ponderosi, fragiles, oleoso-aromatici, fragrantes.
Macis reticulum nuclei membranaceum, pinguiusculum, glabrum, lutescens, odoris fortioris, saporis calidioris, aromatici.
Oleum nucis moschatæ expressum, substantiae spissioris, coloris ut Macis, odoris grate aromatici.

† *MYRRHA, gummi-resina.*

an MIMOSÆ species?

Arbor aethiopica.
Succus induratus, gummeo-resinosus, granulatus, fria-

bilis, ſubpellucidus, ex rubro-fuscus aut fulvus, fracturae ſplendentis, ſaporis aromatici, amari, odoris fragrantis.

NASTURTIUM AQUATICUM, herba recens.

SISYMBRIUM NASTURTIUM.

Planta biennis, ad foſſas et rivulos indigena, per totam hyemem virens.
Folia pinnata cum impari, foliola cordato-ſubrotunda, craſſa, ſuccoſa, glabra, læte viridia, ſaporis ſubacris, nonnihil amari.

NEPETA, herba.

NEPETA CATARIA.

Planta perennis, in locis, ruderibus refertis, noſtræ patriæ.
Herba aromatico-amara, floribus ſpicatis, foliis petiolatis, cordatis, dentato-ſerratis.

† *NICOTIANA, folia.*

NICOTIANA TABACUM.

Planta annua Americæ meridionalis, in Belgio culta.
Herba foliis lanceolato-ovatis, ſeſſilibus, decurrentibus, amara, nauſeoſa, post exſiccationem fusca.

† *NUX*

† *NUX VOMICA.*

STRYCHNOS NUX VOMICA.

Arbor in Ceylonæ et Malabariæ arenosis locis.
Semina orbiculata, compressa, umbilicata, villis ex cinereo-argenteis, splendentibus, ingrate amara.

† *OLIBANUM, THUS, resina.*

JUNIPERUS LYCIA et JUNIPERUS THURIFERA.

Arbores orientales.
Grana resinosa, rotunda et oblonga, sæpius invicem cohærentia, luteo-albicantia, subpellucida, intus splendentia, friabilia, calida, balsamica, igni insperſa fragrantia.
Massæ difformes, luteæ, extus friabiles, intus consistentiæ ceræ, in igne itidem fragrantes, in officinis vulgo Thuris *nomine prostant.*

† *OLIVARUM oleum.*

OLEA EUROPÆA.

Arbor Europæ meridionalis.
Oleum ex fructibus expressum, pellucidum, albidum vel subflavum, blandum, subdulce, ex fructibus maturis leni pressione stillans, sine calore adhibito. Optimum, quod in meridionalibus Galliæ et ditione Genevensi colligitur, et ex Italia præsertim illud, quod ab Insula Lucca denominatur, usui interno inserviat. Ne-

gligatur profunde flavum, in viride vergens, opacum, turbidum, rancidum.

Ad rancorem corrigendum, plumbi præparatis utuntur, per reagentia detegendis.

Papaveris oleum serius congelatur, et flamma ardet minus læta.

† *OPIUM, gummi-resina.*

PAPAVER SOMNIFERUM.

Planta nobis indigena; Opium *vero ex Papavere, quod in Oriente et Persia colitur, unice colligitur.*

Succus gummi-resinosus, primo lacteus, ex pericarpiis maturis sauciatis stillans, dein in massam quam maxime pullam aut nigricantem, gummeo-resinosam induratus, ingrate amaram, acrem, summe narcoticam.

Sit ab omnibus heterogeneis et empyreumate liber, aqua non totus solubilis; siccus, levis, tenax, nigricans, fracturæ splendentis, odoris gravis, saporis amari, acris, nauseosi.

† *OPOPANAX, gummi-resina.*

PASTINACA OPOPANAX.

Planta biennis Europæ meridionalis et Orientis.

Gummi-resina subfusca, granulata, fragilis, subpinguis, amara, nauseosa, odore radicem Levistici æmulans.

ORI-

ORIGANUM, herba florens.

ORIGANUM VULGARE.

Planta perennis, per patriam frequens.
Herba aromatica, foliis oppositis, ovatis, spicis subrotundis, paniculatis, conglomeratis, bracteis ovatis, calyce brevioribus.

ORYZA, semen decorticatum.

ORYZA SATIVA.

Stirps annua, Aethiopica.
Semina oblonga, farinosa, compresso-convexa, utrinque obtusa, alba, semipellucida, subsulcata.

OXALAS ACIDULUM POTASSÆ.

ACETOSELLÆ SAL.

Sal essentialis acidulus albus, ex *Oxalide Acetosella* et *corniculata*, ac *Rumice Acetosa* in Germania et Helvetia præparatus, crystallis exiguis, oblongis, quadrangularibus; ex potassa constans et acido oxalico, aqua totus solubilis. Adulteratur quandoque *sulphate acidulo potassæ*; quod facile detegitur, affusa solutione *acetitis plumbi*, cujus præcipitatum in *acido nitrico*, hoc casu, est insolubile.

† *PAPAVER ALBUM*, *capita*, *semen*.

PAPAVER SOMNIFERUM.

Planta annua, copiose a nostratibus culta.

Capsulæ vel capita, narcoticæ, sauciatæ lac amarum virosum fundentes; recentes efficacia præstant exsiccatis.
Semina minima, globosa, alba, oleoso-dulcia.

† *PAPAVER ERRATICUM, RHOEAS, florum petala.*

PAPAVER RHOEAS.

Planta annua, inter segetes frequentissima, culta in hortis.
Petala rubra, odore ingrata.
Capsulis glabris, globosis, discernitur a Papavere dubio, *cujus capsulæ oblongæ, glabrae; a* Papavere Anemone, *quod huic sint capsulæ oblongæ, hirsutæ.*

PASSULÆ MAJORES.

VITIS VINIFERA.

Frutex sponte crescit in regionibus australibus.
Inter majores quædam volumine sunt magis conspicuæ, subfulvi coloris et dulciores, *Damascenæ* dictæ; aliæ minores.

PASSULÆ MINORES.

VITIS APYRENA.

Frutex, Vitis viniferæ varietas; in iisdem regionibus australibus habitat, ac præcedens.
Nigricantes, dulcissimæ cum levi acore.

PA-

PASTINACA SATIVA, ſemen.

PASTINACA SATIVA.

Planta biennis, in locis ruderibus refertis et pascuis, ſponte nascens.
Semina compreſſa, elliptica, ſtriata, marginata, ſubaromatica et odora.

PECHURIM, faba.

Ignotæ arboris ſemen.
Nucleus oblongus, ovatus, pullus, ſubglaber, ponderoſus, altera parte convexus, altera concavus, pollicem circiter magnus; ſapor odorque inter nucem moſchatam et lignum Sasſafras medius.
Spuria venditur hæc faba, quæ dimidio gemina major est, extrinſecus rugoſa et pallidior, minus aromatica atque amarior.

PERUVIANUM BALSAMUM, ſeu INDICUM NIGRUM, balſamum.

MYROXYLON PERUIFERUM.

Arbor Americæ meridionalis, in calidioribus Terræ Firmæ locis frequens.
Sapore præditum est acri-aromatico, et odore grate benzoino. Bullienti aquæ inſtillatum, ſeparatur in partem leviorem, quæ aquæ pelliculam ſuperinducit, et in partem graviorem, quæ fundum petit. Solvitur in ſpiritu vini, connubium cum oleis unguinoſis

ſis plane reſpuens. Cum acido ſulphurico placide coit genuinum balſamum, ſed cum copaïvæ balſamo adulteratum, valde intumescit, vaporesque ſulphureos emittit.

PETROSELINUM, radix, herba, recentes, ſemen.

APIUM PETROSELINUM.

Planta biennis, in Sardinia et Siçilia indigena, in hortis nostris copioſe culta.
Radix elongata, digitum craſſa, alba; acrimoniam levem cum dulcedine junctam habet.
Herba foliis caulinis linearibus, involucellis minutis, ſuppar viribus ſemini.
Semina parva, ovata, uno latere plana, altero convexa, latere convexo quatuor ſulcis flavis distincta, viridia, ex acri-aromatica.

† *PHELLANDRIUM, ſeu FOENICULUM AQUATICUM, ſemen.*

PHELLANDRIUM AQUATICUM.

Planta biennis, in foſſis et ad lacus frequens, indigena.
Semina ſubaromatica, acria, oblonga, ſtriata, luteo-viridia.

PIMENTA, fructus.

MYRTUS PIMENTA.

Arbor in inſulis Antiliis, præſertim Jamaica.

Bac-

Baccæ immaturæ ſiccatæ, magnitudinis piperis nigri, vel paululum majores, globoſæ vel nonnihil oblongæ, umbilicatæ, denticulis detritis, perquam aromaticæ. Maturæ plurimum aromatis perdidere.

† *PIPER ALBUM, fructus.*

PIPER NIGRUM.

Frutex Indiæ orientalis, in inſula Java copioſe cultus.

Nuclei fructus maturi, cortice nigro privati, ſphærici, magnitudinis piſi minoris, odoris aromatici, ſaporis ferventis, acris.

Piper nigrum, *quod vilioris pretii, et virtute albo inferius, rugis et cortice nigro dignoscendum.*

† *PIPER HISPANICUM ſeu INDICUM, fructus.*

CAPSICUM ANNUUM.

Planta annua Americæ meridionalis, in hortis noſtris frequenter culta.

Fructus capſularis, ruber, nitidus, conicus, incurvatus, ſeminibus ſubrotundis, compresſis, albidis refertus, ſaporis acerrimi, ignei.

† *PIX ſolida et liquida.*

PINUS ABIES et SYLVESTRIS.

Arbores frequentisſimæ in ſylvis borealibus, in Belgio cultæ.

Pix

Pix solida, *resina, quæ vel sub destillatione picis liquidæ habetur, vel dein ex eadem paratur, est firma, fragilis; calore leni liquescit; flammæ admota ardet fumo nigro, et odore resinoso suffocante; coloris est vel nigrescentis, vel pulli, fracturæ splendentis.*

Pix liquida, *resina, ignis ope ex ligno sicco pini, destillando per descensum eliquatur. Liquidum est tenax, nigrum, fragrans, plerisque ingrate olens, saporis amari.*

PLANTAGO, folia virentia.

PLANTAGO MAJOR.

Planta perennis, ad vias et in locis incultis creberrima.

Herba foliis oblongo-ovatis, longe petiolatis, glabris, subadstringentibus, subamaris, salinis.

POLYGALA AMARA, radix.

POLYGALA AMARA.

Planta perennis montana Germaniæ et Galliæ meridionalis.

Radix fibrosa, fibrillis tenuibus subluteis, amaro-subdulcis.

POPULUS, oculi, seu gemmæ.

POPULUS NIGRA.

Arbor, in collibus maritimis et passim ad vias crescens.

Gem-

Gemmæ verno tempore ſcatent ſucco balſamico, flavo, amaro.

† *PRUNUS, fructus ſiccatus.*

PRUNUS DOMESTICA.

Arbor in hortis culta; præſtantior ex Europa meridionali et locis calidioribus habetur.
Drupa oblonga, carnoſa, rugoſa, nigra, acido-dulcis.

PSYLLIUM, ſemen.

PLANTAGO PSYLLIUM.

Planta annua, in Europa auſtrali et Ægypto.
Semina exigua, profunde pulla, oblonga, ſplendentia, una parte convexa, altera leviter concava; initio nauſeoſo-mucilaginoſa, dein acria.

PULEGIUM, herba florens.

MENTHA PULEGIUM.

Planta perennis, in locis humidis, culta in hortis Nordvicenſibus.
Herba aromatica, floribus verticillatis, rubicundis, foliis ovato-lanceolatis, ſerratis, hirſutis.

PUL-

PULSATILLA NIGRICANS, herba florens.

ANEMONE PRATENSIS.

Planta vernalis, crescens in campis apricis sterilibus Germaniæ.
Herba acerrima et urens, pedunculo involucrato et petalis apice reflexis, foliis bipinnatis, *Anemonæ Pulsatillae* non absimilis, quæ vero altior, hirsutior, flore majori, petalis rectis.

PYRETHRUM, radix.

ANTHEMIS PYRETHRUM.

Planta perennis Asiæ et Africæ, ad oras maris mediterranei sponte nascens.
Radix longa, recta, fibris capillaribus obsita, fusca, intus alba, acris, urens.

† *QUASSIA, lignum.*

QUASSIA AMARA Linn. EXCELSA Pharmac. Borus.

Arbor Indiae occidentalis.
Lignum summe amarum, albo-flavescens, leve; cortice ex albo cinereo, fragili tectum.
Ab hoc lignum Rhois Metopii *distinguendum, cortice glabro, hinc inde maculis nigris obsesso; hujus ligni praeterea infusio sulphatis ferri solutione nigrescit.*

† *QUER-*

† *QUERCUS*, *cortex.*

QUERCUS ROBUR.

Arbor in patria maxime vulgaris.
Cortex ramorum juniorum glaber, extus cinereus; intus rubescens, vel ſubruſus; amarus, valde adſtringens.

† *RESINA COMMUNIS.*

PINUS SYLVESTRIS.

Arbor frequentisſima in ſylvis borealibus, nobis culta.
Succus ex arborum trunco ſponte ſtillans, aut arte elicitus, induratus et a ſorde liberatus, aurantiacus, Reſinam communem *offert; cum aqua coctus, et per ſaccum cannabinum preſſus, pro vario colore*, Reſinam albam *aut* flavam *ſiſtit; ſine aqua autem liquatus, donec pelluceat, ac colorem rubro-flavum contraxerit, odoremque terebinthinaceum perdiderit*, Colophonium *ſeu* Colophonia *vocatur.*

RESINA LUTEA, NOVI BELGII.

Arboris ignotæ ſpecies.
Succus reſinoſus, quem arbor fundit, ex terra effoditur ſub trunco; gummi guttæ primo adſpectu refert, ſed manus non inquinat.

RESINA PINI.

PINUS ABIES.

Arbor in ſylvis Europæ borealis et Aſiæ admodum frequens, nobis culta.
Reſina ſponte ſtillans ex arboris trunco, ſordibus privata et inſpisſata, masſam ſistit coloris aurantiaci, intus obſcuriorem, margine diaphano, odoris ferme ut Colophonii.

† *RHABARBARUM, RHEUM, radix.*

RHEI ſpecies dubia.

Planta perennis Chinenſis.
Rhei Indici, quod dicitur, ſegmenta magna, extus, reſecto cortice, ex luteo aut croceo rubentia, intus nucis moſchati inſtar variegata. Hæc ex occidentalibus Chinæ regionibus afferuntur.
Quæ ex Ruſſia advehuntur, frusta ſunt oblonga, ſubteretia vel ſubplana, diametri latioris, foramine pertuſa. Utraque ſalivam flavedine tingentia, ſapore et odore ſpecifico nauſeoſa. Rejiciantur ſegmenta levia, pallidiora, carioſa.

RHODIUM, lignum.

GENISTA CANARIENSIS.

Arbor Hiſpaniæ et inſularum Canarienſium.
Radix lignoſa, nodoſa, incurva, dura, crasſa, extus

tus albida, interne luteo-rufescens, odoris rosei, saporis subamari, resinosi; quo gravius lignum, eo præstantius.

RIBES NIGRUM, baccæ recentes.

RIBES NIGRUM.

Frutex, in vallibus et ad rivulos sponte nascens, in hortis cultus.
Baccæ nigræ, globosæ, magnitudinis pisi et ultra, umbilicatæ, nitentes, scatentes succo obscure sanguineo, odoris minus grati, mucidi, saporis subdulcis, plerisque ingrati.

RIBES RUBRUM, baccæ recentes.

RIBES RUBRUM.

Frutex in dumetis, sylvis, aliisque patriæ locis, sponte nascens, in hortis frequenter colitur.
Baccæ refrigerantes, acido-dulces, globosæ, pisum æquantes, umbilicatæ, succosæ, grate rubræ; cultura grandescunt; stirps fera autem baccis acidioribus commendanda.

† *RICINUS VULGARIS seu CATAPUTIA MAJOR, semen, oleum.*

RICINUS COMMUNIS.

Planta annua in insulis Indiæ occidentalis, in Ameri-

ca australi, India orientali, Africa et Europa calidiori.

Semina ovata, oleosa, magnitudine phaseoli minoris, inclusa cortice tenui, fragili, cinereo et nigro colore variegato, lucido.

Oleum ex nucleis decorticatis expressum, pallide luteum, crassum, viscosum, subacre.

ROSA PALLIDA, florum nondum plene apertorum petala recentia et sicca.

ROSA CENTIFOLIA.

Frutex in hortis Nordvicensibus frequentissimus.

Petala pallide rubra, odoris gratissimi, saporis subdulcis, leniter adstringentis.

† *ROSA RUBRA, florum nondum apertorum petala recentia et sicca.*

ROSA GALLICA.

Frutex Galliæ meridionalis, in hortis Nordvicensibus creberrimus.

Petala ex fusco-rubentia, adstringentia, subamara.

ROSMARINUS, spicæ florentes.

ROSMARINUS OFFICINALIS.

Frutex Europæ meridionalis, cultus in hortis medicis.

Her-

Herba aromatica, acris, foliis lineari-lanceolatis, marginibus reflexis, ſubtus incanis, floribus ringentibus, dilute cœruleis.

† *RUBIA TINCTORUM, radix.*

RUBIA TINCTORUM.

Planta perennis in Europa meridionali, nostratibus copioſe culta.
Radix tenuis, oblonga, teres, fibrilloſa, rubicunda, adſtringens, ſubamara; quo rubicundior, eo præſtantior.

RUBUS IDÆUS, fructus recens.

RUBUS IDÆUS.

Frutex in hortis copioſe cultus.
Baccæ ſubrotundæ, ex multis acinis ſubrotundis compoſitæ, rubentes, ſucculentæ, ſubacidulæ.

† *RUTA, herba.*

RUTA GRAVEOLENS.

Fruticulus in Helvetia ſponte nascens, cultus in hortis Nordvicenſibus.
Herba ſubaromatica, amaro-acris, foliis decompoſitis, foliolis cuneiformibus, ex viridi-ſubcœrulescentibus.

† *SABADILLA*, *ſemen.*

VERATRUM SABADILLA Retzii.

Planta perennis Mexicana.
Semina oblonga, acuta, uno latere ſubplana, altero convexa, nitida, quam maxime pulla, acerrima, ingrate amara, capſula membranacea fusca recondita.

† *SACCHARUM CANDUM et ALBUM.*

SACCHARUM OFFICINARUM.

In utraque India in locis udis ſponte nascens, et copioſe culta.
Saccharum candum *veras ſiſtit ſacchari cryſtallos, albas, flavas aut pullas, pro varia ſacchari puritate; albæ, pellucidæ adhibendæ ad uſum pharmaceuticum.*
Saccharum album *ex congerie cryſtallorum minutisſimarum conſtans, paratur ex ſaccharo crudo in officinis propriis, coctione cum aqua calcis, vel in connubio cum ſanguine bovillo, quod reprobatur, vel albumine ovorum, ſub continua agitatione et deſpumatione; filtratione denuo per pannum laneum, et post novam coctionem et refrigerationem in modulos argillaceos transmisſione.*

SAGAPENUM, gummi-reſina.

an FERULÆ ſpecies?

Planta umbellata orientalis.

Gum-

Gummi-resina tenax, fusca, granis diversæ magnitudinis pallidioribus intermixta, subamara, acris, urens, alliacea.

SAGU vel SAGO.

SAGUS seu PALMA FARINARIA Rumphii, aliæque?

Arbor in insulis Moluccanis.
Grana parva, subrotunda, quodammodo angulata, alba, subrubra aut pulla, in aqua, vino et aceto solubilia, amylacea, ex substantia medullari Palmarum, recta encheiresi, parata. Præstantiora sunt alba.

† *SALEP, radix.*

ORCHIS MASCULA et aliæ species.

In variis Europæ et Asiæ regionibus sponte nascentes.
Radices ex Persia allatæ, longa serie filo albo transactæ, diversæ magnitudinis, amygdalam quandoque superantes, stramineæ, semipellucidæ, duræ cornu instar, ponderosæ, perquam amylaceæ, in pulverem facile terendæ. Rejiciantur pullæ, cariosæ, leves.
Bunii Bulbocastani *radices quandoque hisce substituuntur; discernendæ autem pondere leviori, et substantia minus compacta, dura.*

† *SALIX ALBA et LAUREA, ramorum biennium et triennium cortex.*

SALIX ALBA et PENTANDRA.

Pentandra *in collibus maritimis prope Harlemum aliisque sponte nascens.*
Alba *ad fossas frequens; fere ubique culta.*
Cortex Salicis albæ *tenuis, flexilis, fuscus, adstringens, amarus.*
Salicis pentandræ *cortex principio balsamico reliquis Salicis speciebus antecellit.*

† *SALVIA, folia.*

SALVIA OFFICINALIS.

Fruticulus in Europa australi sponte nascens, in hortis cultus.
Folia aromatica, calida, amaricantia, subadstringentia, lanceolato-ovata, integra, crenulata.

† *SAMBUCUS, cortex interior sive medius, flores, baccæ recentes.*

SAMBUCUS NIGRA.

Arbor in multis locis patriæ sponte nascens, frequenter culta.
Cortex viridis, primo subdulcis, dein acris, persistens, subamarus.

In-

Inflorescentia cymosa, floribus albis, odoris fortis, subnarcotici.
Baccæ ovales, nigræ, umbilico stellato, succosæ, trispermæ, succo rubicundo, acidulo-dulci.

SANDARACA, resina.

JUNIPERUS COMMUNIS et JUNIPERUS OXYCEDRUS.

Arbor in oris Africæ mediterraneis frequens; prior nobis indigena. Sandaraca autem aliunde petitur. Glebulæ resinosæ, semipellucidæ, vel citrinæ, vel albidæ, igni insperſæ suaveolentes.

SANTALUM CITRINUM, lignum.

SANTALUM ALBUM.

Arbor Indiæ orientalis, insulæ præcipue Timor.
Lignum *album*, pallidum, citreo-album, in usum medicum non recipiendum.
Lignum *citrinum*, flavescens, vel pallide rufescens, odoris fragrantis, ad rosaceum vergentis, saporis subamari.

SANTALUM RUBRUM, lignum.

PTEROCARPUS SANTALINUS.

Arbor altissima in montibus Ceylonicis et Indiæ.

Ligni frusta, ſecundum longitudinem ſciſſa, compacta, rubra, extus fere nigricantia, interne lætius rubra; ſciſſa, odoris grati; ſapor blande adſtringens. Quo floridius lignum, eo melius.

SANTONICUM, ſemen.

ARTEMISIA CONTRA et ARTEMISIA JUDAICA.

Fruticuli orientales, in Perſia, Syria et Palæſtina frequentes.
Semina exigua, oblonga, ex flavo-viridia, amaro-acria; a ſeminibus Tanaceti diſtinguenda magnitudine, odore et ſtipitibus intermixtis.

† *SAPO ALICANTINUS. SAPO HISPANICUS ALBUS.*

SAPO ALBUS.

Conſtat ex ſoda et oleo olivarum, in masſam albidam, duriusculam, aqua et vini ſpiritu ſolubilem, unitis.
Sit albus, non rancidus, neque pulverulentus, aut deliquescens. Negligatur ergo variegatus ille, qui vulgo Hiſpanicus dicitur.

† *SAPONARIA, radix, herba.*

SAPONARIA OFFICINALIS.

Planta perennis, in hortis Nordvicenſibus aliisque culta.

Ra-

Radix ſubdulcis, ſubamara, ſubacris, fibroſa, rubens.
Herba ſubmucilaginoſa, ſaponacea, foliis ovato-lanceolatis.

† *SARSAPARILLA, radix.*

SMILAX SARSAPARILLA.

Planta perennis Americana, in Mexicana et Braſilienſi regionibus frequens.
Radix longa, calamum craſſa, rugoſa, fusca, fatua, ſubmucilaginoſa, lenisſime ſalſa.

† *SASSAFRAS, lignum cum cortice.*

LAURUS SASSAFRAS.

Arbor Americæ ſeptentrionalis.
Frusta longa, ſubdura, levia, rufescentia, cortice ferrugineo, ſpongioſo, rugoſo cincta, odoris fœniculacei, ſaporis ſubdulcis, aromatici, ſubacris.

SATUREJA, herba.

SATUREJA HORTENSIS.

Planta annua in inferiori Gallia et Italia ſponte nascens, nobis culta.
Herba fragrans, aromatica, acris et calida, pedunculis bifloris.

† *SCAM-*

† *SCAMMONIUM ALEPPENSE, gummi-resina.*

CONVOLVULUS SCAMMONIA.

Planta perennis orientalis, præsertim in Syria frequens.

Substantia gummeo-resinosa, cinerea, levis, friabilis, acris, fracturæ splendentis; aqua si solvatur, lactea, in viride vergens; cæterum eo melior, quo aqua magis solubilis.

† *SCILLA, bulbus.*

SCILLA MARITIMA.

Planta perennis, in oris maris mediterranei frequens.

Bulbus prægrandis, ponderosus, epidermide fusco-rubente tectus; squamæ albidæ, recentes, succo mucilaginoso, peracri, turgentes; siccatione acre imminuitur.

† *SCORDIUM, herba.*

TEUCRIUM SCORDIUM.

Planta perennis, in hortis medicis nostratibus culta.

Herba amara, alliacea, foliis oblongis, sessilibus, dentato-serratis.

SEDUM ACRE, herba recens.

SEDUM ACRE.

Planta perennis, passim in patria occurrit.

Her-

Herba acerrima, foliis ſubovatis, adnato-ſeſſilibus, gibbis, erectiusculis, alternis, cyma triſida.

SEDUM MAJUS, folia recentia.

SEMPERVIVUM TECTORUM.

Planta perennis, in tectis, muris et rupibus. Folia acidulo-auſtera, ovato-acuminata, ciliata, craſſa, concava, ſuccoſa, in apice rubella.

SENEGA, radix.

POLYGALA SENEGA.

Planta perennis Virginiæ et Penſylvaniæ. Radix flexuoſa, nodoſa, ramoſa, intus alba, extus cortice flavescente, epidermide cinerea tecta; ſaporis acris, ſubamari.

† *SENNA, folia.*

CASSIA SENNA.

Planta annua, in Ægypto ſuperiori ſponte nascens. Folia Sennæ Alexandrinæ *ovato-acuta, quartam pollicis partem lata, ex viridi-lutescentia, lævia, amaro-acria, nauſeoſa; ſubſtituuntur præſertim* Tripolitana, *grandiora, obtuſa, ſcabra, viridia. Sola Alexandrina uſui medico inſerviant.*

† *SER-*

† *SERPENTARIA VIRGINIANA*, *radix.*

ARISTOLOCHIA SERPENTARIA.

Planta perennis Virginiæ et Carolinæ.
Radix ex capitulo fibrillas longas, flexuosas, inter se intricatas emittens, subaromatica, nonnihil amara, odoris camphoraceï.

† *SERPYLLUM*, *summitates florentes.*

THYMUS SERPYLLUM.

Frutex Europæus in locis aridis apricis.
Herba amaro-aromatica, caule repente, foliis planis, ovatis, obtusis, basi ciliatis, floribus capitatis, purpurascentibus.
A Thymo villoso *discernitur, quod hujus folia setacea, pilosa sint, in* Thymo Serpyllo *ad basin solummodo ciliata.*

SIMARUBA, cortex.

QUASSIA SIMARUBA.

Arbor Americana.
Cortex radicis coriaceus, flexilis, amarus, superficie luteo-rubescente, scaber, rugosus.

† *SI-*

† *SINAPI*, *ſemen.*

SINAPIS NIGRA.

Planta annua ſativa.
Semina exigua, *globoſa*, *nigricantia*, *peracria.*

SPIGELIA, radix, herba cum radice.

SPIGELIA MARILANDICA et SPIGELIA ANTHELMIA.

Spigelia Marilandica, planta perennis, in Carolina auſtrali, ſolo profundiore, fertili.
Radix horizontalis, ſimplex, inæqualis, fibrillis plurimis, longis, ſaporis amari.
Spigelia Anthelmia, planta annua, in America meridionali, Braſilia præcipue, ſponte nascens.
Caulis herbaceus, folia ſumma quaterna; radix parva, multis fibrillis longis.

† *SPIRITUS FRUMENTI.*

Deſtillatione ex ſeminibus ſecalinis et tritici, *prægreſſa fermentatione*, *elicitus.*

† *SPIRITUS JUNIPERI.*

Ex deſtillatione Spiritus frumenti cum baccis juniperi producitur.

† *SPI-*

† *SPIRITUS VINI.*

Liquidum volatile, fragrans, limpidum, ex fermentatione spirituosa succi uvarum natum, et destillatione elicitum. Pondus specificum ad pondus aquæ destillatæ sit, ut 931 *vel* 936 *ad* 1,000.

† *SPIRITUS VINI FORTIOR.*

Venalis sub titulo Brandewyn, *vel* Voorloop drie quart, *cujus pondus specificum sit ad pondus aquæ destillatæ, ut* 907 *vel* 911 *ad* 1,000.

† *STAPHISAGRIA, semen.*

DELPHINIUM STAPHISAGRIA.

Planta biennis Europæ australis.
Semina grisea, compressa, trigona vel tetragona, incurva, lacunosa, nucleum oleosum, albo-luteum includentia, peramara, peracria.

STRAMONIUM, herba recens.

DATURA STRAMONIUM.

Planta annua, in ruderibus refertis locis, ad sepes, viâs, in fimetis, ad fossas sponte nascens. Folia magna, ovata, acuminata, angulosa, dentato-sinuata, petiolata, venosa, saturate viridia, odoris virosi.

STY-

STYRAX IN MASSIS, resina.

STYRAX OFFICINALIS.

Arbor in Archipelagi insulis et Oriente frequens. Styrax in massis resina sit dura, splendens, rufa, mixta granis pinguiusculis, albidis vel lutescentibus, odoris suaveolentis fere ut in Balsamo Peruviano.

STYRAX LIQUIDA, balsamum.

LIQUIDAMBAR STYRACIFLUA.

Arbor regionum calidarum Americæ septentrionalis. Balsamum mellis spissitudinis, ex griseo in viride vergens, acre, aromaticum.

TACAMAHACA, resina.

FAGARA OCTANDRA.

Arbor Americæ calidioris, præsertim in Curacao frequens; etiam in insula Madagascar. In cucurbitis advecta resina, sicca et mollis, subdiaphana, splendens, albo-lutescens, aromatica, odoris suavissimi. Rejiciatur resina pulla, aut cinerea.

† *TAMARINDUS, fructus.*

TAMARINDUS INDICA.

Arbor Arabiæ et Indiæ orientalis.

Pulpa nigricans, seminibus siliquarum nitidis mixta; sit recens, succosa et grate acida. Occidentalis pulpa siccior, ob admixtum saccharum acido-dulcis, ne in usum trahatur.

TAMARISCUS, cortex.

TAMARIX GALLICA.

Arbor in Hispania, Gallia et Italia crescens.
Cortex tenuis, convolutus, vestitus epidermide fusca, intrinsecus subrufus, saporis nonnihil amari, subausteri.

TANACETUM, herba, flores.

TANACETUM VULGARE.

Planta perennis, in aggeribus frequens.
Herba amara, foliis bipinnatis, incisis, serratis.
Flores minus ingrate amari, tubulosi, flavi.

† *TARAXACUM, herba, radix, eæque recentes.*

LEONTODON TARAXACUM.

Planta perennis, in pascuis et ad vias frequentissima.
Herba lactescens, subamara, foliis runcinatis, denticulatis, lævibus.
Radix fusiformis, succosa, nigra, lactescens, valde amara.

† *TARTARUS ALBUS et RUBER.*

Sal essentialis vini acidulus, ex acido tartaroso ex po-

potassa, multis heterogeneis mixtis, constans, aqua difficulter solubilis. E vinis rubris secretum, Tartarum rubrum *vocant, ex albis,* Tartarum album, *qui nonnihil griseus. Tartarus optimus compactus est, superficie crystallis irregularibus aspera.*

† *TEREBINTHINA LARICINA seu VENETA, balsamum.*

PINUS LARIX.

Arbor in alpibus Helvetiæ aliisque sponte nascens, nobis culta.
Balsamum nativum, liquidum, lutescens, limpidum, amaro-acre, calidum, resinosum.

† *TEREBINTHINA, oleum.*

PINUS SYLVESTRIS et ABIES.

Arbores in sylvis borealibus frequentissimae, in Belgio cultae.
Oleum æthereum, quod distillatione ex Terebinthina vulgari habetur, limpidum, albicans, acre, calidum, odoris fortis, pungentis.

THUS, *vid.* OLIBANUM.

† *THYMUS, herba florens.*

THYMUS VULGARIS.

In locis excelsis et saxosis Hispaniæ et Galliæ inferioris ereberrima.

Fruticulus erectus, foliis revolutis, ovatis, floribus verticillato-spicatis, subamarus, aromaticus, fragrans.

TOLUTANUM BALSAMUM, balsamum.

TOLUIFERA BALSAMUM.

Arbor in Americes provincia Tolu.
Colligitur sauciato arboris cortice, et sensim indurescens formam solidam acquirit. Balsamum hoc rubicundo-aureum, pellucidum, ætate fragile, odorem spargens gratum, citrei odorem nonnihil referentem. Masticatione emollitum, dentibus adhæret. Duplici adfertur forma, aut in *placentis*, aut in *cucurbitis*. Quod autem in cucurbitis habetur, melius est, adeoque præferendum.

† *TORMENTILLA, radix.*

TORMENTILLA ERECTA.

Planta perennis, in locis arenosis sponte nascens. Radix peradstringens, nodoso-tuberosa, valde fibrosa, extus fusca, intus dilute rosea.

† *TRAGACANTHA GUMMI.*

ASTRAGALUS TRAGACANTHA. Linn.
ASTRAGALUS CRETICUS. Lamarck.

Frutex, in insulis Archipelagi et in Oriente sponte nascens.

Fru-

Frustula gummeo-mucilaginosa, alba, subpellucida, cylindrica, tenuia, vermicularia.

† *TRIFOLIUM AQUATICUM, sive FIBRINUM, herba recens.*

MENYANTHES TRIFOLIATA.

Planta perennis, in locis paludosis et pratis udis. Herba insigniter amara, foliis ovatis, ternis.

† *TRITICUM, amylum, farina.*

TRITICUM HYBERNUM et TRITICUM ÆSTIVUM.

Planta annua, ex Sicilia primo translata, hodie copiose apud nos culta.

Amylum, *principium farinaceum, aqua frigida elicitum et a glutine separatum, sit album, absque odore, insipidum, aqua frigida insolubile; si cocta ei infunditur, in pultem viscidam solvitur.*

Farina *molæ ope inter lapides ex comminutis tritici granis paratur.*

TUSSILAGO, folia.

TUSSILAGO FARFARA.

Planta perennis, ad fossas, in agris argillaceis et udis crebra.

Folia ſubcordata, angulata, dentata, viscida, ſubamara, ſubauſtera.

ULMUS, cortex interior.

ULMUS CAMPESTRIS.

Arbor in Belgio frequens.
Cortex interior ſubfuscus, glaber, tenax, ſubacris.

UVA URSI, folia.

ARBUTUS UVA URSI.

Fruticulus Europæ ſeptentrionalis, in hortis cultus.
Folia obovata, adſtringentia, a foliis *Vaccinii Vitis idææ*, ſubtus punctatis, reticulo venoſo facile diſcernenda.

† *VALERIANA SYLVESTRIS*, *radix*.

VALERIANA OFFICINALIS.

Planta perennis, ex locis altioribus colligenda; colitur in hortis Nordvicenſibus, aliisque.
Radix ex capitulo fibroſo, fuſca, fragrans, nonnihil amari quid habens, ſubacris.
Ne cum Valeriana Phu *confundatur, notandum, hujus radicem eſſe longiorem, craſſiorem atque magis fibroſam: folia radicalia cæterum ſunt indiviſa.* Valerianæ Diœcæ *radix ab officinali albedine facile distinguenda.*

VER-

VERBASCUM, folia.

VERBASCUM THAPSUS.

Planta biennis, in nostri climatis locis incultis ſicciorbus frequens.
Folia oblonga, acutiuscula, utrinque tomentoſa, albo-viridia.

VERONICA, herba.

VERONICA OFFICINALIS.

Planta perennis, in Europæ locis ſylvestribus ſterilibus.
Herba ſubamara, ſpicis lateralibus pedunculatis, foliis oppoſitis, caule procumbente.

VINCETOXICUM, radix.

ASCLEPIAS VINCETOXICUM.

Planta perennis locorum montoſorum Germaniæ.
Radix ſpargens e capitulo plurimas fibrillas, pallide flavescentes, graciles, longas, odoris fortis, ſiccatione plurimum pereuntis, ſaporis initio ſubdulcis, dein ſubacris.

† *VINUM ALBUM, HISPANICUM et RHENANUM* BONÆ NOTÆ.

VITIS VINIFERA.

Frutex in regionibus auſtralibus ſponte nascens, nobis cultus.

VIOLA, florum petala.

VIOLA ODORATA.

Planta perennis, in hortis culta.
Florum petala odorata, intense cœrulea.

† *VIOLA TRICOLOR, herba.*

VIOLA TRICOLOR.

Planta annua frequens, ex locis arenosis petenda; culta, ferme iners.
Herba subacris, foliis ovatis, dentatis, stipulis pinnatifidis, floribus calyce duplo majoribus.

WINTERANUS CORTEX.

WINTERA AROMATICA.

Arbor ad fretum Terræ Magellanicæ habitans.
Corticis frusta magna, tres vel quatuor pollices longa, valde crassa, compacta, dura, extus rugosa, cinerea, aromatica, urentia, caryophyllacei, dum teruntur, odoris, et ejusdem, masticata, saporis.

ZEDOARIA, radix.

KAEMPFERIA ROTUNDA, seu AMOMUM ZEDOARIA Bergii.

Planta perennis Indiæ orientalis.

Ra-

Radix, frustis partim oblongis, partim rotundis, griseis, acri-subamaris, aromaticis, camphoraceis.

† *ZINGIBER, radix.*

AMOMUM ZINGIBER.

Planta perennis Indiæ orientalis.

Radix tuberosa, tuberculosa, subplana, albo-cinerea, aut sublutea, compacta, resinosa, peracris, calida, aromatica.

Corpora ex Regno Animali.

AMBRA GRISEA, seu AMBRA VERA.

Substantia solida, opaca, subtenax, digitis tractata mollescens; oceani aquis innatat, et ad littus projicitur in variis Orientis regionibus, speciatim Madagascar et Sumatra. Excrementum probabiliter Physeteris macrocephali, animalium marinorum exuviis, præsertim Sepiæ octopi rostris, refertum. Sit grisea, maculis et striis coloratis, odoris gratissimi, valde levis, ut aquæ innatet, calore aquæ bullientis fluat, olei instar facile accendatur et deflagret, vix ullo cinere relicto. Solvitur præsertim æthere sulphurico, etiam alcohole et oleis, cum æthereis, tum unguinosis.

† *AXUNGIA PORCI.*

Pinguedo abdominalis Suis Scrofæ L. recens, coloris albi, saporis blandi.

BEZOAR ORIENTALIS.

ANTILOPE ORYX, et præsertim CAPRA ÆGAGRUS.

Lapides stomachici lamellatim concreti, læves, politi, ex viridi nigricantes, in exigua ad centrum cavitate heterogeneam sæpe substantiam continentes; in aquam conjecti, limpidum liquorem non turbent, nec pondere vel diminuantur, vel augeantur; chartæ, creta oblitæ, affricti, lineam ducant ex luteo-viridem.

† *BUTYRUM INSULSUM.*

Pinguedo cremoris lactis vaccini, probe subacti, recens, sine sero inhærente, odoris expers et saporis blandi.

CANCRORUM CHELÆ.

CANCER PAGURUS.

Denticulatæ forcipes, seu articulorum anteriorum partes extremæ.

CANCRORUM LAPIDES, vulgo CANCRORUM OCULI.

CANCER ASTACUS.

Lapilli crustacei calcariæ indolis, ad ventriculum cancrorum fluviatilium generati, duri, albi, orbiculati, pisorum et lentium, non raro fabarum magnitu-

tudinis, una parte compressi et sinuati, altera convexi, acido nitrico solubiles, relicta gelatina lapillorum formæ, qua nota a faecibus dignoscuntur.

† *CHANTHARIDES, seu MUSCÆ HISPANICAE.*

MELOË VESICATORIUS seu LYTTA VESICATORIA Fabricii.

Insecta, Europæ inprimis meridionalis indigena, coleoptera, oblonga, colore ex viridi-aureo, splendentia, antennis filiformibus nigris; recentia odoris acris, ingrati, fere instar Picis liquidæ, ac saporis acerrimi. Eligantur lineas octo vel novem longa, recentia, fætida, non pulverulenta.

CASTOREUM SIBERINUM seu RUSSICUM.

Huic etiam annumerantur *Polonicum*, *Borusficum* et *Germanicum*.

In folliculis majoribus, prope genitalia Castoris Fiberis L. sitis, ovi gallinacei magnitudinem æquantibus, intertextum membranulis tenuioribus, venale prostat. *Siberinum* autem, omnibus aliis speciebus anteferendum; sit ponderosum, in magnis folliculis turgescentibus inclusum, membranulis tenuibus intertextum, friabile, non autem totum exsuccum, hepatici coloris, odoris fortis, saporis amari-acris. *Anglicanum* hinc rejiciendum.

† CE-

† *CERA FLAVA et ALBA.*

APIS MELLIFICA.

Cera flava. *Cera cruda, ab apibus, insectis hymenopteris, secreta et in apiaria deposita, solidam favorum substantiam constituit; iisque, separato antea melle, aqua fervida liquefactis, obtinetur.*

Cera alba. *Cera per apricationem, sub frequente aquæ adspersione, colore flavo orbata et indurata.*

COCCIONELLA.

COCCUS CACTI.

Insecta parva, hemiptera, atro-purpurea, striis transversis notata, pulvere quasi albido conspersa; in pulverem trita, læte coccinea; ex America meridionali, inprimis Mexico, allata, et Cactum cochinelliferum L. inhabitantia.

CORNU CERVI.

CERVUS ELAPHUS.

Cornua solida, ramosa, ab aliorum ruminantium cornubus facile distinguenda.

† *FEL BOVINUM.*

BOS TAURUS DOMESTICUS.

Ex vesicula fellea mactati Bovis Tauri recens colligitur.

† *ICH-*

† *ICHTHYOCOLLA, COLLA PISCIUM.*

Ex diversis Accipenseris Sturionis partibus, præsertim vesica, natatoria dicta, coctione et inspissatione parata et varie convoluta; sit alba, sicca, tenax, diaphana, in aqua et spiritu vini solubilis.

† *MEL ALBUM et MEL COMMUNE.*

APIS MELLIFICA.

Habetur ope secretionis, mel saccharinum, spissum, subpellucidum, in apiaria depositum, suaviter olens. Mel album *seu* virgineum, *sponte e favis exstillans.* Mel commune, *prævia expressione prolicitum.*

MILLEPEDÆ.

ONISCUS ASELLUS.

Insecta aptera, succo acri scatentia, in locis humidis, subterraneis frequentia; oblonga, plumbea, vel pallide cinerea, infra albicantia, cincta annulis squamosis, invicem articulatis; pedibus instructa quatuordecim, antennis duabus setaceis, cauda acuminata, bifida, et irritata in globulos se convolventia.

MOSCHUS TUNQUINENSIS.

MOSCHUS MOSCHIFERUS.

In folliculo proprio, pone umbilicum protuberante, se-

ſecretus, refertur ad Moſchum moſchiferum, animal ex ordine Pecorum, Aſiæ mediæ montes inhabitans. Subſtantia ſit obſcure rubra, aut e ferrugineo nigrescens, grumoſa, ſicca, unctuoſa, ſubamara, fragrantisſima, veſiculis ſeu folliculis turgidis incluſa, tenuibus, rotundis, ovum columbinum magnis, obſesſis pilis brevibus, undulatis, rufis, intus membranula fusca tenera veſtitis.

Qui ex folliculis exemtus venditur Moſchus, a Pharmacopœo non recipiatur, utpote plerumque adulteratus.

PHOSPHORUS.

Acidi phosphorici baſis inflammabilis, albida, ſubdiaphana; aëri expoſita cum vaporibus lucidis lente comburitur, in acidum phosphoroſum mutanda; aqua inſolubilis, ſolvenda tamen in æthere, oleis æthereis et unguinoſis.

Forma cylindrica venalis proſtat, ſub aqua depurata, aëre privata, vaſe pleno et exacte clauſo, in loco obſcuro ſervanda.

† *SEVUM OVILLUM.*

OVIS ARIES.

Pinguedo abdominalis recens, non rancida.

SPERMA CETI.

Dubiæ originis.

Prout

Prout venale occurrit, ſubſtantia est pinguedinoſa, alba, ſquamoſa, tenera, mollis, quaſi ex parvis ſquamulis furfuraceis compoſita, ſaporis oleoſi, odoris unctuoſi. Sit candida, pinguis, recens, non flava.

† *SPONGIA MARINA.*

Spongia hæc, quæ officinalis *L., est Zoophyton maris mediterranei et maris rubri. Eligatur ſubluteſcens, mollis, foraminibus exiguis pertuſa.*

REGULÆ PRO COLLIGENDIS, AD USUM PARANDIS ET SERVANDIS CORPORIBUS, IN MATERIA PHARMACEUTICA ENUMERATIS.

1. Sint corpora in Materia Pharmaceutica memorata, vulgo *Medicamenta ſimplicia* dicta, ſincera, minime adulterata, et optimæ notæ, ut characteribus unicuique eorum adſcriptis reſpondeant.

2. Quæ aliunde habentur, emat ea forma Pharmacopola, qua de nativis characteribus posſit conſtare, ne pro genuinis adulterata ad uſum recipiat. Etiamſi ergo ex Regno Minerali terrestria, metalla, horumque præparata; ex Regno Vegetabili radices, cortices aliæque

que plantarum partes, gummi porro, resinæ etc.; et ex Regno Animali cancrorum chelæ et lapides, cantharides similiaque, pulverum forma adhibeantur, illa tamen integra sibi comparet, non pulverata, sed, si opus, hæc ipse in pulverem redigat; non autem eorum remediorum, quæ volatili gaudent principio, magnam simul pulveris copiam paret. Exemplo sint radices Ipecacuanhæ, Rhei, etc. Licet enim hæc vasis rite clausis serventur, vase tamen identidem aperto, magnum patiuntur virtutis suæ detrimentum.

3. In pulverem redigantur quævis dura:

(*a*) Sola tritura in mortario lapideo vel metallico, pulveremque per cribrum quam minutissime cernendo. Præ reliquis ita præsto sint

Oxydum cupri.
Sulphuretum stibii nativum.
Cancrorum chelæ et lapides.

(*b*) Nonnullis, ob nimis facilem particularum dispersionem, pauxillum aquæ, dummodo hæc ipsorum viribus non noceat, et sequente exsiccatione diffletur, sub tritura addere convenit. Exemplo est

Succinum.

(*c*) Tenacia, antequam in pulverem converti possunt, leni calore arefactionem postulant. Talia sunt

Ara-

Arabicum gummi.
Guajaci resina.
Opium.
Myrrha.
Tragacantha gummi.
Scammonium, similiaque.

Nulli horum, sub tritura, amygdalæ aut harum oleum, propter rancorem facile contrahendum, admisceantur.

4. Quæcunque in officinas pharmaceuticas admittuntur, a sordibus et alienis adhærentibus, pro uniuscujusque varia indole, caute purgentur. Cribrum, pannus vel flatus sæpe huc sufficiunt; aliquando enchiresi operosiori opus est.

Gummi-resinæ, ut Ammoniacum gummi, aliæque eum in finem contusæ, ac cum pari pondere aquæ ferventis leni coctione emollitæ, per pannum linteum premendo colentur, ac colatæ, leni igne, ad pristinam spissitudinem redigantur. Tali etiam modo opium, dupla aquæ calidæ quantitate emollitum et colatum, lenissimoque calore inspissatum, in officinis prostet, titulo

Opii depurati, seu *Laudani puri.*

Mel crudum cum pauxillo aquæ bulliat, et spuma ablata dein coletur, dictum

Mel despumatum.

Aliorum depuratio suo loco, Sectione sequenti, traditur, ut sunt:

Acidum acetosum.
Acidum nitricum.
Acidum sulphuricum depuratum.
Axungia depurata.
Carbonas calcis.
Murias ammoniæ.
Murias sodæ.
Nitras potassæ.
Oxydum zinci nativum.
Phosphorus depuratus.
Sevum depuratum.
Sulphas magnesiae.

5. Quæ Pharmacopola ex indigenis vel ipse colligit, vel colligenda curat, legantur juxta leges artis eo loco, anni ac diei tempore, nec non tempestate illa, quibus singulorum virtus medica maxime efficax est.

6. Recens collecta a marcidis, corruptis, ac erosis, nec non sordibus et quibuscunque alienis probe liberentur.

7. Recens collecta, quæ siccanda sunt, siccentur in aëre libero quam citissime, et in loco obscuro, vel calore radiorum solarium, vel furni igne leni; quod ultimum inprimis de aromaticis dictum sit, ut non solum virtus medica, quantum fieri possit, integra conser-

ſervetur, ſed et gratus quorundam color illibatus maneat.

Millepedes vivi, a ſordibus adhærentibus liberati, in ſaccum linteum immittantur, et vapore calido ſpiritus vini ſubito necentur, dein ſiccentur et vaſis clauſis ſerventur, dicendi

Millepedes præparati.

Fel bovillum recens lento igne ad extracti ſpisſitudinem redigatur, dictum

Fel bovillum inſpisſatum.

8. Serventur cuncta apparatus pharmaceutici corpora, loco ſicco et vaſe clauſo; at inprimis hæc lex esto eorum, quibus principium volatile ac fragrans inest, aut quæ humidum ex athmosphæra trahunt. Lagenis vitreis, operculo vitreo munitis, hæc ſervanda ſunt.

9. Quorum virtus tractu temporis minuitur, non diu ſerventur, et indigena vegetabilia, in univerſum quovis anno colligantur ac ſiccentur, quæque de anno præterito ſuperſunt, rejiciantur.

SECTIO SECUNDA.

CORPORA CHEMICA ENCHEIRESI A PHARMACOPOEO PARANDA.

CORPORA COMBUSTIBILIA ET E COMBUSTIBILIBUS PRAEPARATA.

Corpora Combustibilia.

† *SULPHUR DEPURATUM.*

FLORES SULPHURIS LOTI.

℞. *Sulphuris ſublimati venalis, quantum velis.*

Aqua fervida ſulphur lava, donec acidum adhærens omne ablatum ſit, idque ſiccatum ſerva.

CARBO VEGETABILIS.

℞. Carbonis de ligno levi, quantum volueris.

Carbo in frustula comminutus, in vaſe terreo, operculo, quod foramine pertuſum ſit, probe obtecto, uratur per unam duasve horas; refrigerati pulverem cinereum forte adhærentem follis flatu expelle, carbonemque ſuperſtitem lagena clauſa ſerva.

PHOS-

PHOSPHORUS DEPURATUS.

℞. Phosphori venalis, ſi impurior fuerit, quantum vis.

Immitte in ſaccum linteum, ſub aqua frigida, quæ ſenſim calefiat; emollitus phosphorus per linteum leni presſione pellatur; hunc, penitus in ſervida aqua fuſum, in cylindros tenuiores, adhibito modulo vitreo, finge, ac in lagena, aqua depurata probe repleta, in loco obſcuro ſerva.

Corpora e Combustibilibus præparata.

AQUA HYDRO-SULPHURATA.

AQUA HEPATICA.

℞. Sulphureti ferri partem unam,
Acidi ſulphurici diluti partes tres.

Sulphuretum ferri in pulverem tritum immitte in phialam vitream, tubo incurvo inſtructam, quali ad gas varias ſpecies præparandas vulgo utuntur; per vices acidum affunde, ac gas prodeuns hydro-ſulphuratum, lagena ampla, aqua depurata ante repleta, ad cupam hydro-pneumaticam excipe, donec duæ tertiæ partes aquæ expulſæ ſint. Lagenam infra ſuperficiem aquæ, in cupa, operculo vitreo probe claude, dein aquam cum gas ſedulo agita ad plenam ſolutionem, quam minoribus lagenis accurate replendis ſerva.

Sub agitatione in lagenam, operculo nonnihil diducto, aër atmosphæricus irrepat, ne, aëreo vacuo nato, hæc diffringatur.

AQUA HYDRO-SULPHURATA ACIDULA.

AQUA SULPHURATO-ACIDULA. B.

AQUA HEPATICA ACIDULA. LIQUOR PROBATORIUS HAHNEMANNI.

℞ Sulphureti calcis,
Acidi tartarosi, utriusque drachmas duas. ana ʒ ß
Aquæ depuratæ uncias sedecim. ℥ iv

Sulphuretum et acidum, seorsim in pulverem redacta, in lagena vitrea, aqua addita, probe claudenda, sollicite agitentur; seponatur dein vas, ut quiescat, ac, sedimento rite composito, liquor limpidus effundatur in lagenam,

Acidi tartarosi unciam dimidiam ℥ ß

continentem, et, peracta solutione, lagenis minoribus accurate repletis servetur.

Corporis Combustibilis Oxydum.

† *AQUA DEPURATA.*

AQUA DESTILLATA SIMPLEX.

℞ *Aquae pluvialis, quantum vis.*

De-

Destilla vasis mundissimis, donec tres quartæ partes aquæ adhibitæ in excipulum transferint. Aquam hanc collectam, rejecta parte primum prodeunte, protinus in lagenas minores, exacte replendas et accurate claudendas, immitte et serva.

SALIA ET E SALIBUS PRAEPARATA.

Acida.

ACIDUM SULPHUROSUM. (*a*).

ACIDUM SULPHURIS VOLATILE. SPIRITUS SULPHURIS.

℞. Hydrargyri uncias quatuor,
Acidi sulphurici depurati uncias octo.

In cucurbitam humiliorem immitte hydrargyrum, et acidum affunde. Applica alembicum, juncturasque firma fascia lintea, massa ex gypso et albumine ovi illinita. Appone jam, sed luto non adnecte, phialam capacem, colli longissimi, continentem

Aquæ

(*a*) Cum hoc liquore proxime convenit *Spiritus sulphuris per campanam* olim dictus; hic autem spiritus, licet rite paratus, incertæ semper est virtutis, ut adeo Medicus, vel acidum sulphurosum, vel hoc cum acido sulphurico, pro suo arbitrio, mixtum, illius loco ad usum vocare possit, quo medicamentum et efficacia et indolis constantia illo præstantius habeatur.

Aquæ depuratæ uncias ſedecim.

Hujus venter aqua frigida aut glacie tegatur. Ignem applica lenem, ad ebullitionem usque augendum, et tamdiu continua operationem, donec liquor, in phiala contentus, ſit librarum duarum. Hic prudenter ſub camino effuſus, vaſe epistomio rite clauſo, in loco frigidiori ſervetur.

Hoc pro uſibus pharmaceuticis ſatis purum acidum, ſi pro uſibus chemicis exquiſitioribus depurare cupias, adde

Barytam, acido ſulphuroſo abundante ſolutam,

tamdiu, donec deſinat præcipitatio.

† *ACIDUM SULPHURICUM DEPURATUM.*

ACIDUM ſeu OLEUM VITRIOLI CONCENTRATUM, DEPURATUM.

℞ *Acidi ſulphurici venalis, quantum vis.*

Inmitte in phialam vitream, balneo arenæ imponendam; ignem inſtrue, initio lenem, ſenſim augendum, donec vapores aquei non amplius exeant, et liquor decolor evaſerit. Hunc vaſis clauſis ſerva ad operationes pharmaceuticas.

ACI-

ACIDUM SULPHURICUM PURUM.

ACIDUM VITRIOLI CONCENTRATUM, RECTIFICATUM. OLEUM VITRIOLI PURUM.

℞ Acidi ſulphurici venalis libras duas.

Immitte in retortam vitream, collo longo inſtructam, et ita amplam, ut altera ejus pars ab acido vacua ſit. Retortam balneo arenæ committe, appone excipulum, et commisſuras absque luto ita tege, ut vaporibus primum adſcendentibus, valdeque elasticis, exitus concedatur. Ignem inſtrue ad calorem aquæ bullientis. Surgunt vapores, qui in liquidum mox coeunt. Ita perge deſtillando, quamdiu, discretis guttulis majoribus, collo retortæ liquidum hoc ſe affigit. Auge ſenſim ignem, etiam ad ebullitionem usque, et, quamprimum ſtriæ oleoſi habitus ad retortæ faciem internam, et vapores albi denſiores per totum apparatum obſervantur, aliud appone excipulum, prius calefactum, lenteque deſtilla, ut fere quavis, quam vocant, minutæ horæ partis quadrante gutta descendat, donec nulli vapores prodeant. Liquor, qui ſecundo excipulo continetur, acidum ſulphuricum purum est, et vaſe vitreo, operculo vitreo claudendo, ſervetur.

† *ACIDUM SULPHURICUM DILUTUM.*

ACIDUM VITRIOLICUM DILUTUM. SPIRITUS VITRIOLI.

℞ *Acidi ſulphurici puri partem unam,*

Aquæ depuratæ, partes sex.

Acidum aquæ per vices et sensim affunde.

ACIDUM NITROSUM. (a)

ACIDUM NITRI FUMANS. SPIRITUS NITRI FUMANS GLAUBERI.

℞. Nitratis potassæ puri, siccati, partes duas, exempli gratia, uncias viginti quatuor.
Acidi sulphurici depurati partem unam, exempli gratia, uncias duodecim.

Nitras potassæ in pulverem tritum immitte in retortam vitream amplam per infundibulum, longa curvaque cauda instructum; prudenter et sensim ita acidum affunde, ut retortæ collum non tangat; mox retortam in balneum arenæ pone, admove excipulum tubulatum vacuum, cujus commissura fasciis linteis, luto ex gypso et albumine ovi illinitis, claudenda est; dein cum excipulo junge apparatum Woulfianum, quantum fieri possit refrigerandum, cujus prior lagena

Aquæ depuratæ vigesimam,

posterior

Ponderis utriusque salis adhibiti quartam partem

contineat, ac commissuræ accurate claudantur. Destilla por-

(a) Acidum nitroso-nitricum.

porro igne initio leni, dein ſenſim aucto, donec retortæ fundus candeat, nec vapores ulterius adſcendant.

Apparatu refrigerato, erit in excipulo acidum nitroſum concentratisſimum, ſubito effundendum in vas vitreum, non niſi ad duas tertias partes implendum, epistomio vitreo accurate claudendum et in loco frigido ſervandum. In lagena priori acidum nitroſum hæret coloratum, ſed minus generoſum, in lagena posteriori acidum decolor, gas nitroſo nonnihil imprægnatum. Hi quoque liquores, vaſis vitreis probe clauſis, ad uſum ſervandi.

Masſa ſalina in retorta ſuperſtes ſolutione per aquam, et potasſa, ſi requiratur, ad ſaturitatem addita, per cryſtalliſationem *Sulphas potasſæ* ſiſtit.

† *ACIDUM NITRICUM.*

ACIDUM NITRI. SPIRITUS NITRI ACIDUS.

℞ *Nitratis potasſæ depurati partes duas,*
Acidi ſulphurici depurati,
Aquæ communis, utriusque partem unam.

Nitras potasſæ ſiccatum et in pulverem redactum, in retortam vitream immitte, affunde cauta manu acidum, antea aqua prudenter dilutum. Appone excipulum vitreum, et commisſuram luto probe firma; deſtilla ex balneo arenæ igne leni, ſenſim augendo, donec masſa ſuperſtes in retorta ſiccesſcat. Collectum excipulo liquidum, ſi forte nonnihil coloratum ſit, ad balneum arenæ leniter caleat, donec

nec vapores colorati non amplius surgant, et liquor decolor evaserit, qui acidum satis purum est, quod plerisque operationibus pharmaceuticis inserviat, lagena clausa servandum.

Ad usus chemicos omni labe heterogenea liberetur, instillando

Nitras argenti, aqua solutum,

donec nulla turba oriatur; quo facto, liquidum per aliquot dies seponatur, pellucidum supernatans cauta manu effundatur, et denuo ad siccitatem fere ex retorta destilletur.

† *ACIDUM MURIATICUM.*

ACIDUM SALIS CULINARIS seu MARINI.
SPIRITUS SALIS ACIDUS. SPIRITUS SALIS FUMANS.

℞ *Muriatis sodæ decrepitati et sicci, partem unam cum dimidia, verbi gratia, uncias octodecim.*

In retortam vitream capacem immitte. Adde cauta manu, per infundibulum longa cauda instructum,

Acidi sulphurici depurati, concentrati, partem unam, verbi gratia, uncias duodecim, ante dilutas

Aquæ communis parte dimidia, verbi causa, unciis sex.

Retorta in balneum arenæ reposita, excipulum appone vitreum cum apparatu Woulfiano, cujus priori lagenæ

Aquæ depuratæ tantum, quantum valet pondus tertiæ partis acidi adhibiti,

pos-

posteriori autem,

Ejusdem, quantum valet pondus partis hujus dimidiæ,

immitte, et commissuris luto probe clausis, institue destillationem igne in principio leni, dein sensim aucto, donec vapores elastici prodire desinant. Apparatu refrigerato, acidum excipulo et priori lagena comprehensum, utpote generosissimum, seorsim serva, quoniam illud, quod altera lagena habetur, debilius esse solet. Si acidum hoc multo acido sulphurico sit inquinatum, supra

Muriatis sodæ depurati, exsiccati, partem sextam acidi prius adhibiti

rectificetur, ac semper lagena epistomio vitreo clausa, cui cera adfundatur, servetur.

Massa salina in retorta superstes, solutione per aquam, et creta, si requiratur, ad saturitatem addita, per crystallisationem Sulphas sodæ *præbet.*

ACIDUM MURIATICUM DILUTUM.

SPIRITUS SALIS MARINI VULGARIS. SPIRITUS SALIS ACIDUS DILUTUS.

℞. Acidi muriatici partem unam,
Aquæ depuratæ partes duas.

Misceantur sensim in cucurbita vitrea; mixta per ali-

aliquot dies ſeponantur et ſubinde agitentur, postea in vaſe probe clauſo ſerventur.

ACIDUM MURIATICUM OXYGENATUM.

SPIRITUS SALIS MARINI DEPHLOGISTICATUS.

℞. Muriatis ſodæ partes tres,
Oxydi magneſii nativi, in pulverem redacti, partem unam.

Probe mixta, in retortam vitream tubulatam immittantur. Adde

Acidi ſulphurici concentrati et depurati, partem unam cum dimidia,
Aquæ quarta parte diluti.

Applicetur apparatus Woulfianus, cum tribus vel quatuor lagenis, ad duas tertias partes altitudinis

Aqua depurata,

quantum fieri potest refrigerata, repletis, et leni igne ex balneo arenæ expellatur copioſum gas acidum muriaticum oxygenatum verſus aquam lagenis comprehenſam, ad hujus ſaturitatem usque. Erit in lagenis, excepta prima, acidum muriaticum oxygenatum, in loco frigido et obſcuro vaſis vitreis, probe clauſis, ſervandum.

Poterit etiam ad hoc acidum parandum inſervire apparatus ſimplicior, quem ad aquam hydro-ſulphuratam indicavimus.

ACI-

ACIDUM NITRO-MURIATICUM.

AQUA REGIA.

℞. Acidi nitrici partes duas,
Acidi muriatici partes quatuor.

In phiala, in aqua, quantum fieri posſit frigidisſima, locata commisceantur, et, tecto phialæ orificio, relinquantur per aliquot dies; quo facto, immitte liquorem in vas vitreum, obturamento vitreo bene clauſum, ac in loco frigido et obſcuro ſervandum.

ACIDUM BORACICUM.

ACIDUM BORACIS. SAL SEDATIVUS HOMBERGII.

℞. Boratis ſodæ alcalini, in pulverem redacti, quantum volueris.

Solve hoc in

Aquæ depuratæ bullientis ſufficiente quantitate.

Solutioni fervidæ adde per vices, ſub continua agitatione cum bacillo vitreo,

Acidum ſulphuricum depuratum,

donec humor leviter acescat.

Sepone liquorem, ut fiant in loco frigido cryſtalli leves et ſquamoſæ. Humorem ſeparatum evapora, donec pellicula nascatur, ac cryſtallos per refrigerium excute, idque

que repetè, donec lixivium ſale lamellari exhauſtum ſit. Sal illud omne collectum, frigida et depurata aqua leviter lava, ac ſicca in bibula. Solutione ac cryſtalliſatione in cryſtallos nitidas ac ampliores hoc boracis acidum coge.

† *ACIDUM ACETOSUM.*

ACIDUM ACETI. ACETUM DESTILLATUM.

℞ *Aceti vini, quantum volueris,*
Pulveris carbonis vegetabilis partem decimam ſextam adhibiti aceti.

Deſtilla leni igne e retorta vitrea. Liquorem primum prodeuntem, utut aquoſum, ſepara, ac mutato excipulo ſequentem, quamdiu ab empyreumate liber est, collige; explora, num octo ejus partes valeant unam ſodæ cryſtalliſatæ ſaturare; ſin minus, acetum vel magis concentratum, vel quod primum prodiit, ſufficienti quantitate adjice, ac vaſe vitreo clauſo ſerva.

ACIDUM ACETICUM.

ACETUM RADICALE.

℞ Acidi acetoſi, quantum vis,
Carbonatis ſodæ alcalini, quantum ſufficit ad plenam acidi ſaturitatem.

Liquorem leni igne ad ſiccitatem evapora; reſiduo in retortam vitream tubulatam immisſo, adde ſenſim

Aci-

Acidi ſulphuriſci depurati tantum, quantum valet dimidium pondus adhibiti ſalis.

Appone excipulum amplum, ac, commisſuris probe clauſis, leni primum igne, dein augendo, deſtilla, donec nebula in excipulo et guttæ ad caudam retortæ ceſſent. Collectum ſic acidum aceticum vitreo vaſe, probe clauſo, ſerva.

Si aliquid acidi ſulphuroſi contineat, hoc baryta auſer, et nova deſtillatione rectifica.

ACIDUM TARTAROSUM.

ACIDUM TARTARI. SAL ESSENTIALIS ACIDUS TARTARI.

℞ Tartritis acidulæ potasſæ, in pulverem redactæ, libras tres.
Aquæ pluvialis libras quindecim.

In vaſe ſtanneo vel cupreo, ſtanno rite obducto, ebulliant. Adde ſenſim per vices, ſub perpetua agitatione,

Cretæ depuratæ, in pulverem redactæ, quantum ſufficit ad acidum ſaturandum.

Vas ab igne removeatur et quieſcat, ut pulvis albus, qui Tartris calcis est, ſubſidat. Liquor ſupernatans prudenter effundatur, ſedimentum autem aqua ſæpius affuſa edulcoretur, donec nihil ſalſi amplius ſolvatur. Liquores, cum prior liquor, tum posteriores, ad lotio-

nem adhibiti, si commisceantur, filtrentur, et leni calore ad crystallisationem evaporentur, Tartritim potassæ largiuntur. (*a*)

Sedimento edulcorato, seu Tartriti calcis, addatur

Acidi sulphurici libra una,
Aquæ pluvialis libris decem diluta.

Spatula lignea agitentur sæpius, et per triginta sex horas digerantur. Sedimento posito, quod Sulphas calcis est, explora humorem supernatantem acidum, pauxillo illius affundens acetitis plumbi solutionem, cujus præcipitatum, si acido nitrico depurato affuso plane dispareat, nullum acidum sulphuricum hîc adesse arguit. Si acidi sulphurici nihil inesse comperias, prudenter acidum hoc adde, ita ut tantillum illius liquori maneat immixtum, quo promoveatur crystallisatio. Quiescat tunc vas, donec sedimentum positum sit; humorem limpidum effunde, et de sedimento lotione repetita, sive hac sola, sive adjuta prægressa pressione preli, laminis stanneis muniti, omne acidum separa. Liquores hi aciduli commixti, in vase vitreo evaporentur, donec ad crystallos demittendas fere apta est solutio. Hac periodo evaporationis, iterum quieti detur vas, sedimentum denuo natum per colum separetur, et limpidus humor in vase amplioris superficiei vitreo vel porcellanico, lente evapo-

(*a*) Cui murias calcis ad manus est, hoc inserviat ad tartritim potassæ decomponendam, ac ita tartritis calcis copiam augendam.

porationi tradatur, ad syrupi tenuioris spissitudinem, ut fiant crystalli ex acido tartaroso.

Acidum sulphuricum adhærens, crystallos prompte lavando tantillo aquæ depuratæ frigidæ, quantum possit, auferatur, ac crystalli in bibula siccentur, et vase vitreo clauso serventur.

ACIDUM BENZOÏCUM.

ACIDUM BENZOËS. FLORES BENZOËS.

Duplici acquiritur modo, vel per *sublimationem*, vel per *solutionem*.

ACIDUM BENZOÏCUM PER SUBLIMATIONEM.

℞. Benzoës optimæ, in pulverem rudiorem tritæ, quantum vis.

In ollam figulinam immitte, cujus orificio conum chartaceum impone, et ad balneum arenæ leni calore, quo resina fluat, acidum benzoïcum, forma crystallorum coloris argentei, per sublimationem collige. Conum chartaceum sæpius muta, ut eximantur flores, et sublimando perge, donec sal excussum fuscescat, quod vitro clauso servetur.

ACIDUM BENZOÏCUM PER SOLUTIONEM.

℞. Benzoës optimæ, in pulverem tenuissimum tritæ, quantum velis,

Carbonatis ſodæ alcalini partem quartam Benzoës adhibitæ,
Aquæ pluvialis ſextuplum.

Coque in vaſe ſtanneo vel figulino, continuo agitans, per dimidiam horam; quiescat vas, et effundatur limpidus ſupernatans humor. Reſiduum iterum aqua addita coque ut ante, et liquorem priori adjice. Liquores commixtos evapora, donec ſuperſit duplum ponderis Benzoes adhibitæ, dein

Acidum ſulphuricum dilutum

guttatim adde, ut omne acidum benzoïcum, forma materieï caſeoſæ flavescentis expellatur; quod iterata ſolutione per aquam fervidam, et cryſtalliſatione per refrigerium, in cryſtallos tenues et ſericeas cogatur, in bibula ſiccetur, ac vaſe vitreo clauſo ſervetur.

ACIDUM SUCCINICUM.

SAL SUCCINI.

℞ Succini in pulverem redacti libras duas,
Arenæ ſiccæ ac puræ partem tertiam Succini adhibiti.

Ex retorta vitrea, cui collum amplius, appoſito excipulo capaciori, clauſis ita commiſſuris, ut tamen fluido elastico poſſit concedi exitus, de balneo arenæ deſtilla, igne primum leni, dein ſenſim augendo, donec retortæ fundus candeat.

De-

Deſtillato prudenter collecto, adde aquam fervidam, ut omne, quidquid ſalſi inſit, ſolvatur. Oleum ſepara, illudque iterum aqua fervida lava, et hunc liquorem priori adjice. Oleum ſerva ad rectificationem; at humorem acidulum per colum, aqua madens, transmiſſum, leniſſimo calore evapora, et ad cryſtalliſandum ſepone. Cryſtallos collectas iterum ſolve aqua fervida; ignem inſtrue, ut per parvum temporis ſpatium humor ebulliat; tum cola, et leni evaporatione cryſtallos refrigerio augendas collige, denique in bibula ſiccatas, vaſe vitreo rite clauſo ſerva.

ACIDUM PHOSPHORICUM.

ACIDUM PHOSPHORI.

℞. Osſium animalium mammalium, ad albedinem calcinatorum, et in pulverem ſubtiliſſimum redactorum, libras quatuor.

Adde

Acidi ſulphurici concentrati, libras duas et duas uncias,
Aquæ communis viginti quatuor libris dilutas.

Ebulliant ſub continua agitatione per duas horas in vaſe ſtanneo, dein quiescant, donec ſperatum cernitur ſedimentum. Limpidus humor effundatur, et nova aqua iterum atque iterum affuſa, ſedimento adhærens acidum auferatur, ſive etiam prelo, laminis ſtanneis munito, ſi

lubitum fuerit, ſeparatio promoveatur. Omnis hic liquor coletur, et primum in vaſe ſtanneo, dein vitreo per evaporationem ad quantitatem trium ferme librarum ponderis reducatur, caute ſeparato pulvere, qui ſub evaporatione expellitur. Superſtiti humori inſtilletur

Carbonas ammoniæ alcalinum liquidum,

quamdiu præcipitatum formatur, filtro dein ſeparandum. Limpidus humor in vaſe porcellanico evaporetur, mox in retorta vitrea vel crucibulo porcellanico, igne aucto, placide fluat, ac tandem refrigerata maſſa

Aquæ depuratæ partibus ſex

ſolvatur, denuo coletur et ſervetur.

Alcalia Salina.

♃ *POTASSA LIQUIDA.*

AQUA LIXIVIA CAUSTICA. E. AQUA KALI PURI. L. LIQUOR KALI CAUSTICI. B.

LIXIVIUM CAUSTICUM et SAPONARIORUM.

℞ *Carbonatis potaſſæ alcalini partes duas,*
Calcis partes tres.

Mixta in vaſe ferreo, coque in

Aquæ pluvialis partibus ſedecim,
per dimidium horæ, aſſidue materiem agitans bacillo ligneo.

Par-

Partem liquoris exiguam colatam examina; si, addito huic acido, appareat effervescentia, plus calcis adde, si vero, addito lixivio carbonatis potassæ, liquor opacus reddatur, plus alcali adjice. Liquoris recte parati notæ sint, quod nullam, nisi forte levissimam cum acidis effervescentiam cieat, lixiviumque alcalinum carbonatum nulla ratione opacum reddat. Ita jam per duplex linteum cola, et sub finem leni pressione liquidi separationem juva. Massæ dein residuæ

Aquæ partes quatuor

insuper affunde, ut adhærens sal separetur, in alios usus servandum. Lixivium tandem primum se dissipet, donec remanserint partes octo, et in lagenam majorem, exacte claudendam, immittatur et seponatur, donec evadat limpidum. Hoc facto, deducatur a sedimento, et in lagenis minoribus, obturamento vitreo accurate munitis, usui servetur.

POTASSA FUSA.

KALI CAUSTICUM SICCUM. B.

LAPIS CAUSTICUS.

℞. Potassæ liquidæ, quantum volueris.

In vase ferreo se dissipet, donec, aqua abacta, materia salsa instar olei fluat, et gutta illius, in metallum frigidum stillata, mox concrescat. Quo viso, effunde in modulos cupreos calefactos, et pauxillo olei illinitos;

tos, ac cylindros induratos, calidos, inter furfures siccatos, in phiala probe obturanda serva.

† *AMMONIA LIQUIDA.*

AQUA AMMONIÆ CAUSTICA. E. AQUA AMMONIÆ PURÆ. L. LIQUOR AMMONII CAUSTICI. L.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI CUM CALCE VIVA.

℞ *Muriatis ammoniæ partes duas,*
Calcis recens ustæ, et aquæ depuratæ parte una exstinctæ, partes quinque.

Seorsim trita in pulverem, demta Calcis parte una, in retortam immittantur, et probe misceantur, ac dein adjiciatur pars una superstes Calcis, ut hujus strato reliqua materies tegatur. Tubo vitreo interposito, jungatur retorta cum apparatu Woulfiano, cujus prima lagena minor contineat

Aquæ depuratæ partem tertiam Muriatis adhibiti;

altera autem lagena amplior et tertia,

Aquæ ejusdem tantum, quantum valet pondus muriatis ammoniæ.

Commissuris omnibus probe firmatis, tubisque ad securitatem rite positis, ex balneo arenæ, igne primum leni, dein sensim aucto, gas copiosum, quantum fieri possit, versus apparatum Woulfianum pellatur. Quod gas ubi plane ex-

pul-

pulſum fuerit, refrigerio detur apparatus, ac in prima lagena ammonia erit, aliquando ſordibus inquinata, hinc ſeponenda; in altera autem lagena, ammonia liquida puriſſima, gas ſaturata, et in tertia lagena, ammonia erit pariter puriſſima, ſed minus generoſa; ſeorſim ergo hi liquores ſerventur lagenis, vitreo obturamento accurate claudendis.

In retorta ſuperſtes est Murias calcis.

Alcalia Terrestria.

CALX.

CALCARIA. B.

CALX VIVA.

℞ Concharum ostrearum, aqua calida lotarum, et ab omnibus alienis adhærentibus liberatarum, ſeu
Lapidis calcarii ſolidioris, albi, ut marmoris, quantum placet.

Igni intenſo exponatur, donec omnes calcis vivæ proprietates exhibeat; quarum præcipua hæc esto, ne cum acidis effervescat. Calx ſervetur vaſis clauſis.

† *AQUA CALCIS.*

AQUA CALCARIÆ USTÆ. B.

℞ *Calcis recentis libram unam,*
Aquæ communis libras quindecim.

Aquam calci ſenſim affunde, continuo agitans; ſepone per duodecim horas, et vas ſæpius concute; postea quieſcant, ut ſedimentum ponatur; liquorem ſupernatantem limpidum prudenter effunde, ac vaſis clauſis ſerva.

MAGNESIA.

MAGNESIA PURA, ſeu USTA.
MAGNESIA CALCINATA.

℞ Carbonatis magneſiæ alcalini, quantum vis.

In crucibulum immitte, quod probe, ne carbones incidant, tegendum. Igne rubescat per duas horas, et in lagenam, obturamento vitreo probe muniendam, immitte. Si adhuedum cum acidis effervescentiam excitet, calcinatio protrahenda.

Aci-

ACIDA ET ALCALIA SALINA.

Acida et Alcalia Salina.

† *CARBONAS POTASSÆ ALCALINUM.*

LIXIVA PURIFICATA. E. KALI PRÆPARATUM. L. KALI CARBONICUM. B.

CARBONAS POTASSÆ INCOMPLETUM.

CINERES CLAVELLATI DEPURATI.

℞ *Carbonatis potassæ venalis, quantum placeat.*

In pulverem redactum cum

Aquæ pluviæ frigidæ quantitate pari

commisce, et subinde agitandam miscelam per octo saltem dies sepone, amplissima superficie aëri expositam. Percolatum dein lixivium in vase ferreo probe mundato, deduc ad siccitatem, curando, ut sub finem operationis ferveat vasis fundus, et continua agitatione curans, ne vasi adhæreat sal, quod mox exemtum, in lagenam probe claudendam immitte.

CARBONAS POTASSÆ.

CARBONAS POTASSÆ COMPLETUM.

POTASSA AËRATA.

Carbonatis potassæ alcalini partes duas,
Aquæ pluviæ partes tres.

Fiat

Fiat lege artis ſolutio. Lixivium percolatum in amplum immitte excipulum, cujus vigeſimam tantum partem adimpleat, et quod ore patet vasto. Jam retortam ſume tubulatam, itidem capacem, quæ contineat

Carbonatis calcis nativi pulverulenti, in frusta minora redacti, partes tres.

Hujus rostrum tam alte ingrediatur vas recipiens, ut lixivii alcalini ſuperficiem fere tangat. Cura interim habeatur, ut apparatus ſit firmiter positus, ne motu, ex acidi continua affuſione inducto, cryſtalliſatio turbetur. Jam ſume

Acidi ſulphurici depurati partes duas, dilutas Aquæ pluvialis partibus octo,

et liquorem, penitus refrigeratum, per vices in retortam immitte. Atmoſphæræ hic calorem conſideret Pharmacopœus; quo enim hæc frigidior, eo promtius acidum carbonicum arripiet aqua alcalina; glaciale autem frigus non favet operationi, cum lixivium, pro parte tantum acido ſaturatum, inde ſolidescat. In caloris temperatura graduum 50——60 ſcalæ Fahrenheitianæ, altera quavis hora, verbi cauſa, affundatur acidi pars ſexta. Post primam affuſionem, obturamento ſubereo, exacte claudatur retortæ tubus: ita gas acidum carbonicum gravius ſenſim aërem atmoſphæricum per vaſorum juncturas pellit, quæ tunc veſica duplici claudendæ. Postquam hac ratione per vices acidum omne immiſeris, ſubinde masſam effervescentem bacillo ligneo agitans,

tans, post viginti quatuor horas invenies magnam eamque purissimam salis partem, egregie crystallisatam.

Separatis crystallis, quæ ut plurimum salis lixivii dimidium pondere æquant, quod residuum est lixivium percoletur, propter terram inprimis siliceam, quæ hic plerumque deponitur, et lenissimo igni committatur; ita post debitam evaporationem crystallorum adhuc partem dimidiam acquires, sæpe majorem copiam, prout faveat tempestas. Lixivium autem evaporationi destinatum, cave ne diu aëri relinquas expositum, præsertim tempore æstivo; post paucos enim dies avolabit auræ acidulæ magna pars, et carbonas potassæ in carbonatis potassæ alcalini statum sensim redit, ita ut paucæ obtineantur crystalli.

Ultimum lixivium, quum puras regulares crystallos non amplius largiatur, aliis usibus inserviat.

Semper crystalli, ex lixivio exemtæ, pauxillo aquæ depuratæ sunt abluendæ, super charta bibula siccandæ, et per triduum saltem ibi relinquendæ.

Nota bonitatis hæc sit, quod solutio illius, solutioni muriatis hydrargyri affusa, hanc lacteam reddat, carbonasque hydrargyri colore albo præcipitet. Si color flavus conspiciatur, signum erit, non sufficienter alcali esse saturatum; quo præcipitatum album minori sit copia, et tardius fiat, eo magis alcali est acido carbonico imprægnatum. Primæ crystalli in dicto apparatu hac gaudere qualitate deprehenduntur, licet omni adhærente carbonate potassæ alcalino non plane sint immunes.

† CAR-

† *CARBONAS SODÆ ALCALINUM.*

SODA PURIFICATA. E. NATRON PRÆPARATUM. L. SODA DEPURATA. A. NATRUM CARBONICUM CRYSTALLISATUM. B.

CARBONAS SODÆ INCOMPLETUM.

CRYSTALLI SODÆ. SAL SODÆ. ALCALI MINERALE.

℞ *Carbonatis sodæ venalis, quantum velis.*

In pulverem tritum, addita

Aquæ quantitate sufficiente,

in vase ferreo coque, et rite repetita et continuata aquæ admixtione et coctione, omne, quod sal tenet, extrahe. Liquorem, post debitam evaporationem, calidum cola, et in loco frigido ad crystallisandum sepone. Liquor residuus eadem ratione tractetur, quamdiu puras sodæ crystallos largiatur. Lixivium ultimum, quod salia multa alia continet, igne ad siccitatem redigatur, aliisque usibus destinetur.

CARBONAS SODÆ.

CARBONAS SODAE COMPLETUM.

SODA AËRATA.

℞ Crystallorum carbonatis sodæ alcalini partem unam,
Aquæ calidæ partes duas.

Solutionem colatam et refrigeratam, eadem ratione in simi-

ſimili apparatu tractes, ac potasſæ lixivium, et cryſtallos acquires pellucidas, in aëre etiam nitorem ſervantes, quæ gustu vix alcalinam indolem produnt, niſi diu in ore retentæ. Soda hæc acido carbonico in hunc modum ſit ſaturata, ut reagentia eam non afficiant.

Reſiduum post lenem evaporationem refrigeratum crustas ſalinas opacas exhibet, in quo ſtatu ſoda paulo minus acido carbonico ſaturata deprehenditur.

Tale etiam ſal opacum acquiritur in excipulo, ſi ſolutio cryſtallorum ſodæ minus diluta recipiatur.

† *CARBONAS AMMONIÆ ALCALINUM SOLIDUM.*

AMMONIA PRÆPARATA. E. et L. FLORES SALIS AMMONIACI VOLATILES. A. AMMONIUM CARBONICUM. B.

CARBONAS AMMONIÆ INCOMPLETUM.

ALCALI VOLATILE SICCUM.

℞ *Muriatis ammoniæ partem unam,*
Carbonatis calcis nativi pulverulenti partes duas.

Diligenter ſiccata, in pulverem redacta, et accurate mixta, immittantur in retortam, amplo orificio præditam; adnexo excipulo amplo, aquæ frigidæ, ubi opus fuerit renovandæ, immerſo, et igne forti applicato, in balneo arenæ fiat ſublimatio. Eligatur autem excipulum tale, ex quo alcali, absque vaſis jactura, posſit ſeparari. Sal collectum vaſe vitreo clauſo ſerva.

† CAR-

† *CARBONAS AMMONIÆ ALCALINUM LIQUIDUM.*

AQUA AMMONIÆ. E. et L. SPIRITUS SALIS AMMONIACI. A. LIQUOR AMMONII CARBONICI AQUOSUS. B.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI CUM CINERIBUS CLAVELLATIS.

℞. *Muriatis ammoniæ partem unam,*
Carbonatis potassae alcalini partem unam cum dimidia,
Aquae partes duas.

Salia separatim in pulverem trita, in retortam vitream immitte; gnaviter dein commixtis, adde aquam, et in balneo arenae, igne sensim aucto, destilla ad siccitatem, humoremque vase vitreo clauso serva.

CARBONAS AMMONIÆ PYRO-ANIMALE.

SAL CORNU CERVI DEPURATUM. L. et A. AMMONIUM CARBONICUM PYRO-OLEOSUM. B.

SAL CORNU CERVI.

℞. Salis sublimati sub destillatione sicca cornu cervi, vel ossium, quantum volueris,
Pulveris carbonis vegetabilis puri partem octavam salis adhibiti.

Sedulo mixta in retortam vitream immitte, excipulum vitreum applica, juncturas claude, ac igne leni sal sublima, lagenis vitreis probe claudendis servandum.

Vel,

Vel,

℞. Carbonatis calcis nativi pulverulenti uncias quatuordecim,
Muriatis ammoniæ uncias ſex,
Olei pyro-animalis depurati drachmam unam.

Carbonas calcis nativum pulverulentum et ſal, in pulverem redacta, atque bene ſiccata, misce accurate cum oleo. Ex retorta vitrea, cui collum breve, appoſito excipulo minori, firmatis juncturis, igne primum leni, dein ſenſim aucto, ex balneo arenæ ſublima, donec nihil, quod ſal retineat, ulterius adſcendat. Apparatu refrigerato, ſal ſiccum de retortæ collo ac excipulo collige, et lagenis vitreis, ut ante, ſerva.

† *CARBONAS AMMONIÆ PYRO-ANIMALE LIQUIDUM.*

LIQUOR VOLATILIS CORNU CERVI RECTIFICATUS. L.
LIQUOR AMMONII PYRO-OLEOSI. B.

SPIRITUS CORNU CERVI.

℞. *Liquoris alcalini, ſub deſtillatione cornu cervi, vel oſſium mammalium collecti de oleo pyro-animali, partes octo,*
Pulveris carbonis vegetabilis partem unam.

Mixta cucurbitæ immiſſa, impoſito alembico, excipulo applicato, et juncturis clauſis, calore admodum leni deſtilla,

quamdiu collectus flavescens liquor odorem ammoniæ excitat, seu donec fere dimidium liquoris transierit. Collectum humorem vase accurate clauso serva.

Vel,

℞ *Carbonatis ammoniæ pyro-animalis, ad secundam formulam medicamenti præcedentis parati, partem unam,*
Aquæ puræ partes quatuor.

Post solutionem serva vase probe clauso.

† *SULPHAS POTASSÆ.*

LIXIVA VITRIOLATA. E. KALI VITRIOLATUM. L. KALI SULPHURICUM. B.

TARTARUS VITRIOLATUS. ARCANUM DUPLICATUM.

℞ *Carbonatis potassæ alcalini, aquæ decuplo soluti, quantum volueris,*
Acidi sulphurici diluti, quantum sufficit ad saturitatem.

Liquorem saturatum percola, dein evapora leni igne, ut fiant crystalli.

Vel,

℞ *Sulphatis potassæ, de carbonatis potassæ venalis depuratione collecti, quantum velis, soluti in*
Aquæ ferventis quantitate sufficiente.

Si

Si alcali abundans adhæreat, instilla

Acidum sulphuricum dilutum,

donec saturatus liquor sit, tum solutionem per chartam cola, et leni igne evapora, ut crystalli excutiantur.

Vel,

℞. *Massæ salinæ, in retorta superstitis a praeparatione acidi nitrici, seu nitrosi, quantum velis.*

Solve in

Aquae bullientis quantitate sufficiente.

Acidum, si abundet,

Carbonate potassae alcalino

satura, liquorem cola, ac leni igne, ut ante, in crystallos redige.

SULPHAS POTASSÆ SULPHUROSUM.

LIXIVA VITRIOLATA SULPHUREA. B.

SAL POLYCHRESTUS.

℞. Nitratis potassæ depurati,
Sulphuris sublimati, pondera paria.

In pulverem trita et commixta, in crucibulum candens terreum immitte per vices; deflagratione peracta, relinquatur massa in igne per quadrantem horæ. Hæc ab

igne remota, protinus aqua calida ſolvatur, per chartam coletur, et per evaporationem, igne leni, in crystallos cogatur, in bibula ſiccandas, et vaſe vitreo obturato ſervandas.

† *SULPHAS SODÆ.*

SODA VITRIOLATA. E. NATRON VITRIOLATUM. L. NATRUM SULPHURICUM CRYSTALLISATUM. B.

SAL MIRABILIS GLAUBERI.

℞. *Carbonatis ſodae alcalini, aqua frigida ſoluti, quantum vis,*
Acidi ſulphurici diluti, quantum ſatis est ad ſaturitatem.

Liquorem ad ſtatum neutrum redactum et colatum, leni calore evapora, donec gutta, marmori frigido immisſa, ſpiculas crystallinas emittat, dein in loco frigido ſepone, ut crystalli fiant.

Vel,

℞. *Masſae ſalinae, a praeparatione acidi muriatici in retorta ſuperſtitis, quantum velis.*

Solutam per aquam, acido abundante, ſatura per

Carbonas ſodæ liquidum,

dein cola, et evaporando in cryſtallos redige, ut ante.

† *NI-*

† *NITRAS POTASSÆ DEPURATUM.*

NITRUM PURIFICATUM. L. KALI NITRICUM. B.

NITRUM DEPURATUM.

℞ *Nitratis potassæ venalis, quantum volueris.*

Solve

Aquæ bullientis ea quantitate,

ut frigida solutio crystallos non ponat.

Instilla

Carbonatis potassæ alcalini solutionem,

donec turba cesset; sedimento posito per chartam cola; leni igne evapora, donec gutta, corpori frigido instillata, spiculas salinas offerat, tum sepone in loco frigido, ut crystalli fiant, colligendæ, et in bibula siccandæ. Iterata evaporatione, ut ante, reliquas crystallos de lixivio excute.

MURIAS SODÆ DEPURATUM.

NATRUM MURIATICUM. SODA MURIATICA.

SAL CULINARE DEPURATUM.

℞ Muriatis sodæ venalis, quantum volueris.

Solve

Tripla quantitate aquæ bullientis,

ſolutioni fervidæ inſtilla

Carbonatis ſodæ alcalini ſolutionem,

donec nulla amplius turba oriatur. Sedimento ſponte poſito, cola humorem per chartam, ac ſub leni evaporatione fiant crystalli, in bibula ſiccandæ.

MURIAS SODÆ EXSICCATUM.

SAL CULINARE DECREPITATUM.

℞ Muriatis ſodæ, quantum volueris.

Immitte in ollam ſigulinam, vitro obductam, puram, quæ, operculo tecta, inter prunas incalescat, donec ſtrepitus ceſset, et ſal faciem pulverulentam, opacam, coloris albi asſumſerit. Vaſe vitreo clauſo ſerva.

† *MURIAS AMMONIÆ DEPURATUM.*

AMMONIUM MURIATICUM DEPURATUM. B.

SAL AMMONIACUM DEPURATUM.

℞ *Muriatis ammoniæ venalis, quantum volueris.*

Solve

Aquæ bullientis tripla quantitate,

ſolutionem cola per chartam, dein evapora ad pelliculam, ac ſepone in loco frigido, ut cryſtalli fiant, in bibula ſiccandæ.

ACE-

ACETIS POTASSÆ.

LIXIVA ACETATA. E. KALI ACETATUM. L.
KALI ACETICUM. B.

TERRA FOLIATA TARTARI.

℞. Carbonatis potasſæ alcalini quantum velis,
Acidi acetoſi, quantum ſufficit ad plenam
ſaturitatem.

Humorem per plures dies ſepone, et interim ſæpius agita, denuo explora, num alterutrum principiorum abundet, ac, ſi opus fuerit, iterum ſatura. Igne leni in vaſe ſtanneo evapora, ſub continua agitatione, ad ſiccitatem. Sal hoc

Aquæ puræ ſufficiente quantitate

ſolve, per chartam cola, et, ſi neceſſe fuerit, acidum acetoſum admisce; denuo leni igne in vaſe vitreo evapora ad ſiccitatem, ac vaſe accurate obturato ſerva.

† *ACETIS POTASSÆ LIQUIDA.*

LIQUOR KALI ACETICI. B.

LIQUOR TERRÆ FOLIATÆ TARTARI.

℞. *Carbonatis potasſæ alcalini uncias duodecim,*
Acidi acetoſi, quantum ſufficit ad plenam
ſaturitatem.

Mixta per aliquot dies seponantur, et interea sæpius agitentur, ac, si necesse sit, denuo saturentur. Humor dein in vase stanneo evaporetur igne leni, donec unciæ quadraginta octo supersint; denuo exploretur, num saturatus sit, et vase clauso servetur.

ACETIS SODAE.

SODA ACETATA. A.

TERRA FOLIATA TARTARI CRYSTALLISABILIS.

℞ Carbonatis sodæ alcalini, quantum velis,
Acidi acetosi, quantum sufficit ad saturitatem.

Liquor per aliquot dies quiescat, per chartam coletur, leni igne evaporatus, in crystallos redigatur, in bibula siccandas, et vase obturato servandas.

† *ACETIS AMMONIÆ LIQUIDA.*

AQUA AMMONIÆ ACETATÆ. E. et L. LIQUOR AMMONII ACETICI. B.

SPIRITUS MINDERERI.

℞ *Carbonatis ammoniæ alcalini sicci uncias duas,*
Acidi acetosi, quantum sufficit.

Acido in cucurbita vitrea, in balneo arenæ calenti, carbonas ammoniae sensim admisce, ad saturitatem usque; mixta per aliquot dies seponantur, subinde agitanda; denuo explora, num saturatus liquor sit, sin minus, aliquid vel acidi acetosi, vel salis alcalini admisce, et serva vase bene obturato.

TAR-

TARTRIS POTASSAE.

LIXIVA TARTARISATA. E. KALI TARTARISATUM. L. KALI TARTARICUM. B.

TARTARUS TARTARISATUS.

℞. Carbonatis potasſæ alcalini, quantum velis.

Solve in

Aquæ ferventis decuplo.

Admisce

Tartritim potasſæ acidulam depuratam, ad plenam ſaturitatem.

Liquorem per chartam colatum evapora, donec oriatur pellicula, et in loco frigido cryſtallos excute.

Obtinetur etiam ſub præparatione *Acidi tartaroſi.*

† *TARTRIS POTASSÆ ACIDULA DEPURATA.*

CREMOR TARTARI DEPURATUS. CRYSTALLI TARTARI.

℞. *Tartritis potasſæ acidulæ venalis, quantum velis.*

Explora, an metallicis et ſalibus alienis libera ſit, tum ſolve aquæ fervidæ ſufficiente quantitate, ſolutionem cola, et leni calore in cryſtallos redige, ſiccandas, ſervandas.

† *TARTRIS POTASSÆ ET SODÆ.*

SODA TARTARISATA. E. NATRON TARTARISATUM. L. SAL POLYCHRESTUS SEIGNETTII. A. TARTARUS NATRONATUS. B.

SAL SEIGNETTI.

℞. *Carbonatis sodæ alcalini, quantum velis.*

Solve in

Aquae fervidae octuplo.

Per vices admisce

Pulverem Tartritis potassae acidulae depuratae,

donec effervescentia cesset.

Liquorem per chartam cola, evapora, ac in crystallos redige, quas siccatas serva.

PHOSPHAS SODÆ.

NATRUM PHOSPHORICUM. B.

SODA PHOSPHORATA.

℞. Acidi phosphorici, aquæ duplo diluti, vel Acidi phosphorici impuri, ex terra ossium per acidum sulphuricum separati, quantum velis;

Sensim admisce

Carbonatis sodæ alcalini, aqua soluti, quantum satis est.

Hu-

Humorem per chartam cola, dein avapora, donec gutta ad marmor frigidum cryſtallos excutiat, iterum cola, ac ad cryſtalliſandum ſepone. Cryſtallos collectas etiam post repetitam evaporationem ſicca, et vaſe clauſo ſerva.

Acida et Alcalia Terrestria.

CARBONAS CALCIS DEPURATUM.

CRETA ALBA PRÆPARATA.

℞ Carbonatis calcis nativi pulverulenti, in pulverem redacti, quantum vis.

Affunde in ampla pelvi aquam puram et cum ſpatula lignea bene agita. Concesſa paululum quiete, liquidum album ſupernatans effunde in aliam pelvim. Carbonati calcis reſiduo novam aquam iterum iterumque affunde, donec hæc vix lactescat. E collectis liquoribus particulas calcarias, per ſubſidentiam ac porro ope lintei ſecretas, ſupra patinas ſictiles vitro obductas bene ſicca. Materiem ſiccatam triturando in pulverem redige et ſerva.

† *CARBONAS MAGNESIÆ.*

MAGNESIA CARBONICA. B.

MAGNESIA ALBA.

℞ *Sulphatis magneſiæ venalis (a) partes quatuor, Car-*

(a) Eidem uſui potest inſervire Murias magneſiæ, a depuratione ſalis marini in officinis ſalinariis nostris reſiduum.

Carbonatis potassæ alcalini partes duas.

Sulphas magnesiæ solve

Aquæ pluvialis ebullientis partibus tribus;

et percola. Solve itidem Carbonas potassæ alcalinum

Aquæ ebullientis parte una cum dimidia.

Ambo lixivia ebullientia simul et semel misceantur in vase figulino vitro obducto, et protinus adjiciantur

Aquæ fervidæ partes octo.

Bulliant super ignem horæ dimidiæ spatio. Effundatur tunc materies in colum linteum. Quæ super colum restat magnesia,

Aqua pura fervida

abluatur, donec hæc insipida transeat. Siccanda tunc igne leni, æstivo tempore ad solem.

Magnesia anglica *hujus loco etiam poterit adhiberi.*

† *SULPHAS MAGNESIÆ DEPURATUM.*

MAGNESIA VITRIOLATA E. et L. MAGNESIA SULPHURICA. B.

SAL EBSHAMENSE, seu CATHARTICUM AMARUM DEPURATUM.

℞ *Sulphatis magnesiæ venalis, quantum vis,*

Solve

Aquæ ferventis quantitate pari.

Solutionem calidam cola et sepone in loco frigido. Separa-

ratis crystallis, quod relinquitur lixivium, ad ignem exhalet, donec gutta, marmori frigido instillata, crystallos monstret, et denuo sepone, ac ita perge, donec crystallos dare neget.

Lixivium ultimum, seu Murias magnesiae pro parando Carbonate magnesiae alcalino serva.

† *SULPHAS ALUMINÆ ACIDULUM EXSICCATUM.*

ALUMEN USTUM.

℞ *Sulphatis aluminae aciduli, quantum vis.*

Calcinetur in vase fictili, vitro non obducto, capaci, donec, aqua abacta, massa levis, spumosa, alba remaneat.

MURIAS CALCIS.

CALCARIA MURIATICA. B.

SAL AMMONIACUM FIXUM. CALX SALITA.

℞ Carbonatis calcis depurati, quantum volueris.
Acidi muriatici, quantum sufficit ad solutionem saturatam.

Humorem percola, et in vase vitreo ad siccitatem evapora. Sal calens lagenæ vitreæ, statim claudendæ, committe et serva.

Vel,

℞ Massam terreo-salinam, superstitem de præparatione ammoniæ liquidæ, per calcem recens u-

ustam, seu de præparatione carbonatis ammoniæ alcalini solidi per carbonas calcis nativum pulverulentum, quantum volueris.

Solve aqua fervida. Solutionem limpidam per chartam cola, et ad siccitatem evapora, ac serva vase probe clauso, ut ante.

MURIAS BARYTÆ.

BARYTA MURIATICA B.

TERRA PONDEROSA SALITA.

℞. Sulphatis barytæ nativi, puri, in pulverem subtilissimum redacti, quantum velis,
Carbonatis potassæ (*a*) siccati, in pulverem triti, duplum.

Pulveres accurate commixtos, et in crucibulum terreum amplum immissos, igni inter carbones expone. Dum incalescat massa, hanc spatula terrea sæpius agita; ignem auge, donec ægre candeat, at cave, ne fluat. Per horam ignem sustine, massamque dein refrigeratam larga aquæ bullientis copia ablue, ut omne, quod sal habeat, aqua solubile, auferatur. Pulverem album superstitem, qui maximam partem ex carbonate barytæ constat, sicca.

Huic

(*a*) Carbonas potassæ alcalinum etiam potest inservire, si tertia parte quantitatem augeas.

Huic pulveri admisce

Acidum muriaticum,

donec effervescentia cesset, humorque saturatus sit. Sepone, ut sedimentum ponatur; liquorem limpidum effunde in vas vitreum; hunc evapora ad siccitatem, ac dein in crucibulum terreum immitte, ut candeat, donec nulli vapores surgant. Refrigeratam massam aqua depurata solve, solutionem percola et evapora, donec pellicula appareat, ac dein in loco frigido crystallos amplas, nitidas excute; crystallos collectas tandem sicca in bibula, et vase clauso serva. (*b*)

PHOSPHAS CALCIS.

TERRA OSSIUM. CORNU CERVI USTUM.

℞ Frustorum cornu cervi, quantum vis.

Integra, si horum copia detur, vel ramenta, a quibus destillatione omne volatile abstractum est, in furno candentibus carbonibus exponantur, donec tota, etiam diffracta, albescant; deinde in mortario terantur, pulvisque per cribum tenue trajiciatur.

Al-

(*b*) Ad summum puritatis gradum, pro usibus chemicis, deducitur hoc Murias barytæ, calcinatam materiem ante solutionem coquendo cum Alcoholis sufficienti quantitate, ut a Muriate strontianæ, si forte insit, liberetur. Alcohol fervens per colum dein separetur, et Murias barytæ purum, quod ad chartam supererit, solutione et evaporatione, ut ante, in crystallos reducatur.

Alcalia et Sulphur.

SULPHURETUM AMMONIÆ.

HEPAR SULPHURIS VOLATILE. SPIRITUS FUMANS BEGUINI.

℞. Calcis uncias ſex,
Sulphuris depurati unciam unam,
Muriatis ammoniæ uncias duas.

Accurate mixta in retortam vitream protinus immittantur, et affundantur

Aquæ depuratæ unciæ quatuor.

Retortam balneo arenæ, præmisſa agitatione, impone; dein excipulo ſatis amplo applicato, juncturisque probe firmatis, fiat deſtillatio leni igne. Post refrigerationem exime liquorem, et vaſe vitreo bene clauſo ſerva.

SULPHURETUM CALCIS.

CALCARIA SULPHURATA. B.

HEPAR SULPHURIS CALCAREUM.

℞. Calcis partem unam,
Sulphuris depurati partem unam cum dimidia.

Mixta in crucibulo, operculo accurate tegendo, per quin-

quinque vel ſex, quas vocant, minutas horæ partes calcinentur, quo facto crucibulum ab igne removeatur; masſa adhuc calida dein in vas vitreum probe claudendum immittatur, ac uſui ſervetur.

METALLA ET E METALLIS PRAEPARATA.

Argentum.

NITRAS ARGENTI.

ARGENTUM NITRICUM.

CRYSTALLI LUNÆ.

℞. Argenti cupellati, quantum velis,
Acidi nitrici puri, aqua diluti, quantum ſufficit ad ſolutionem ſaturatam.

Fiat ſolutio leni calore, humorem limpidum refrigeratum repone; quæ aliquando obſervatur, materia floccoſa in vas vitreum aptum deferatur. Post prægresſam evaporationem per refrigerium cryſtallos tabulares, nitidas excute, quas intra bibulam ſicca, ac vaſe clauſo in loco obſcuro ſerva.

† *NITRAS ARGENTI FUSUM.*

ARGENTUM NITRATUM. E. et L. ARGENTUM NITRICUM FUSUM. B.

LAPIS INFERNALIS.

℞. *Nitratis argenti, quantum placet.*

Immitte in crucibulum, vel vasculum porcellaneum, seu, quod præstat, argenteum, quod in aliud crucibulum, arena repletum, reponatur, bene cavens, ne carbonum particulæ incidant. Igne modico instructo, materies sensim liquefiat, ac desinente ebullitione, adhuc per horæ quadrantem circiter, ad libellam instar olei fluat, donec colorem olivaceum leviter fuscescentem acquirat; dein effundatur in modulos cupreos, parum calefactos, et sebo leviter inunctos, ut inde bacilli formentur, qui frigefacti in vitro bene clauso in loco obscuro serventur.

Hydrargyrum.

OXYDULUM HYDRARGYRI NIGRUM.

HYDRARGYRUM OXYDULATUM NIGRUM.

℞. Muriatis hydrargyri oxydulati partem unam.

Redige in pulverem subtilissimum, et coque

Aquæ calcis partibus viginti,

sub continua agitatione per horam, vase operculo tecto; dein aquam decanta, iterumque aliam eadem copia affunde et coque; idque, si requiratur, repete tamdiu, donec aqua calcis, debita prægressa coctione, chartam flavam colore rubro tingat, argumento, acidum muriaticum, quantum fieri possit, fuisse separatum: ocyus tunc aquam decanta, pulveremque nigrum, affusa sæpe aqua calida, ablue, et leni calore sicca.

† OXY-

OXYDULUM HYDRARGYRI HAHNEMANNI.

HYDRARGYRUM OXYDULATUM NIGRUM. B.

OXYDUM INCOMPLETUM NITRICO-AMMONIACALE.

MERCURIUS SOLUBILIS HAHNEMANNI.

℞. Hydrargyri puri uncias quatuor,
Acidi nitrici uncias sex, dilutas.
Aquæ depuratæ unciis duabus.

Fiat solutio in loco frigidissimo, sensim addendo Hydrargyrum. Massam albam crystallinam, in solutione formatam, aqua frigida depurata cito ablue, et super chartam sicca; siccatam solve

Aquæ depuratæ partibus quinquaginta,

et quieti expone per aliquot horas; tum decanta et solutioni affunde lente et guttatim fere, sub continua agitatione cum bacillo vitreo aut terreo,

Ammoniam liquidam

tamdiu, nec ultra, quam præcipitatum colore nigro appareat. Pulvis hic niger, aqua depurata edulcoratus, siccetur ad chartam solo atmosphæræ calore, et in vitro probe obturato, in loco obscuro, et, quantum fieri possit, frigido, usui servetur.

† OXYDUM HYDRARGYRI NITRATUM.

HYDRARGYRUS NITRATUS RUBER. E. et L. HYDRARGYRUM OXYDATUM RUBRUM. B.

MERCURIUS CORROSIVUS RUBER.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS RUBER.

et

OXYDUM HYDRARGYRI.

HYDRARGYRUS CALCINATUS. L.

OXYDUM HYDRARGYRI COMPLETUM.

loco MERCURII PRÆCIPITATI PER SE.

℞. *Hydrargyri puri, quantum volueris,*
Acidi nitrici, quantum sufficit.

In cucurbita vitrea, agglutinato alembico, et applicato excipulo,

Aquæ uncias aliquot

continente, vasorum juncturis apertis, leni primum igne, dein ad coctionem aucto, fiat solutio, et materia in massam albam siccam convertatur, quæ igne lento, sensim aucto, torreatur, donec cucurbitæ collum plane pelluceat, et massa colorem atro-rubrum acquirat. Hæc refrigerata squamas splendentes rubras exhibet, estque Mercurius præcipitatus ruber officinarum, *qui, protracta calcinatione, donec nullum amplius acidum nitricum odore percipiatur, coctione dein in*

Aquæ

Aquæ depuratæ partibus decem,

digestione tandem calida aliquot horarum, cum

Potassæ liquidæ parva quantitate,

omni, quantum fieri possit, nitrate hydrargyri, si forte adhæreat, exacte liberetur. Pulvis remanens, prohe repetita calidæ aquæ affusione, edulcoratus et siccatus, sit Oxydum Hydrargyri, *in loco obscuro servandum.*

SULPHURETUM HYDRARGYRI NIGRUM.

HYDRARGYRUM SULPHURATUM NIGRUM. E. et B.
HYDRARGYRUS CUM SULPHURE. L.

AETHIOPS MINERALIS.

℞ Hydrargyri puri,
Sulphuris depurati, pondera paria.

Triturentur strenue in mortario, addito pauxillo aquæ, donec globuli mercuriales plane disparuerint.

NITRAS HYDRARGYRI LIQUIDUM.

NITRATIS HYDRARGYRI OXYDATI SOLUTIO.
MERCURIUS NITRATUS.

℞ Oxydi hydrargyri nitrati partes tres,
Acidi nitrici puri partes quatuor.

Leni igne, vase tecto, sensim addendo oxydum, fiat lege artis solutio, vase accurate clauso, servanda. —

Hæc,

Aquæ depuratæ partibus duodecim dilutæ,

sit

LIQUOR NITRATIS HYDRARGYRI,

Liquori mercuriali Pharmacopœæ Amstelodamensis substituendus.

† *MURIAS HYDRARGYRI.*

HYDRARGYRUS MURIATUS CORROSIVUS. E. HYDRARGYRUS MURIATUS. L. HYDRARGYRUM MURIATICUM CORROSIVUM. B.

MURIAS HYDRARGYRI OXYGENATUM. MURIAS HYDRARGYRI BASI OXYDI PERFECTI.

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS.

℞. *Hydrargyri puri partes quatuor,*
Acidi nitrici, quantum sufficit, ut solvatur.

Solutionem, in massam albam siccam evaporatione redactam, in pulverem tere, et adde

Muriatis sodæ exsiccati, et
Sulphatis ferri exsiccati, utriusque partes quinque.

Hæc tritura probe commixta, immittantur in phialam, cujus dimidiam partem impleant. Ignis in balneo arenæ applicetur lenis et lentus; orificio phialæ aperto, quamdiu vapores aquosi et acidi egrediantur. Dein cono chartaceo leviter claude et sensim auge ignem. Finita sublimatione confringatur phiala, et massa alba splendens eximatur, a materia rubra, in fundo residua, probe separanda.

† *MU-*

† *MURIAS HYDRARGYRI OXYDULATI.*

HYDRARGYRUS MURIATUS MITIS. E. CALOMELAS.
L. HYDRARGYRUM MURIATICUM MITE. B.

MURIAS HYDRARGYRI BASI OXYDI IMPERFECTI.

MERCURIUS DULCIS, sive CALOMELAS.

℞ *Muriatis hydrargyri partes quatuor,*
Hydrargyri puri partes tres.

Muriati, in tenuissimum pulverem redacto, in mortario vitreo admisce hydrargyrum, et pistillo vitreo tere, addens subinde

Pauxillum alcoholis,

ne inter terendum elevatus pulvis molestiam moveat. Hydrargyro ita extincto, ut nulli amplius globuli appareant, pulvis immittatur in phialam, cujus tertiam tantum partem repleat, cono prius chartaceo, ut alcohol effugiat, tegendam; dein operculum impone lapideum, et auge ignem, eumque sustine satis intensum, donec nihil amplius in fundo appareat, præter pulverem interdum rubrum, quem inutilem ut et albicans, in collo phialæ hærens, paucum sublimatum abjice; nec non metallicum Hydrargyrum separa.

Operatio instituatur balneo arenæ.

Murias hydrargyri oxydulatum, ita comparatum, in pulverem redige tenuissimum, et

Aquæ depuratæ duplo, cum
Muriatis ammoniæ parte vigesima,

coque per quadrantem horæ, qua decantata, bis aut ter aqua depurata fervida ablue, aut tamdiu, donec per aquam calcis nullum præcipitatum flavum aut album in ea conspiciatur. Pulverem ita comparatum exsicca calore lenissimo, et loco obscura serva.

ACETIS HYDRARGYRI.

HYDRARGYRUS ACETATUS. E. et L. HYDRARGYRUM ACETICUM. B.

MERCURIUS ACETICUS.

℞. Hydrargyri puri libram unam,
Acidi nitrici diluti libras duas,
Solutionis Carbonatis potassæ alcalini, quantum sufficit.

Hydrargyrum cum acido misce in vase vitreo, et in balneo arenæ solve; tum paullatim instilla solutionem alcalinam, ut oxydum hydrargyri dejiciatur. Hoc aqua depurata plurima lava, et leni calore sicca.

His peractis,

℞. Oxydi hydrargyri, modo descripti, libram unam,
Acidi acetosi, quantum sufficit.

Misce in vase vitreo, et hydrargyro soluto, liquorem per chartam cola; dein evaporetur liquor, donec pellicula appareat, et seponatur, ut fiant crystalli. Has in vase obturato repone.

Hic

Hic præparandi modus ſit juxta Pharmacopœam Londinenſem.

TARTRIS HYDRARGYRI.

MERCURIUS TARTARISATUS.

℞ Solutionis hydrargyri, in acido nitrico paratæ, et plane ſaturatæ, quantum ſatis.

Huic fervidæ adde guttatim

Tartritis potasſæ ſolutionem, itidem ſaturatam et fervidam,

donec ceſſet præcipitatio. Quieti jam committatur miſcela, et liquor ſupernatans, qui nitrum continet, decantatione ſeparetur, præcipitatum pauca aqua frigida ſemel abluatur, ſolvatur dein

Aquæ fervidæ ſufficiente quantitate,

et ſolutio percolata in loco frigido cryſtalliſanda ſeponatur; cryſtallis exemtis, hic labor repetendus, donec cryſtallos dare neget ſolutio; ſal, intra chartam ſiccandum, dicto titulo ſervetur.

NITRAS HYDRARGYRO-AMMONIACALE.

HYDRARGYRUS PRÆCIPITATUS CINEREUS.

℞ Hydrargyri,
Acidi nitrici, pondera paria.

Misce, ut ſolvatur; ſolutionem

Aqua depurata

dilue, et adde

Carbonatis ammoniæ liquidi sufficientem quantitatem

ad hydrargyrum penitus ab acido separandum. Pulvis dein aqua depurata lavetur et siccetur.

Juxta Pharmacopœam Edinburgensem.

MURIAS HYDRARGYRO-AMMONIACALE.

CALX HYDRARGYRI ALBA. L. HYDRARGYRUM MURIATICUM PRÆCIPITATUM. B.

MERCURIUS PRAECIPITATUS ALBUS.

℞ Muriatis hydrargyri,
Muriatis ammoniæ, utriusque, quantum velis.

Solve

Aquæ depuratæ sufficiente quantitate,

et instilla gradatim

Solutionem Carbonatis potassæ alcalini,

quamdiu pulvis albissimus ad fundum cadat. Si ad flavedinem vergere incipiat præcipitatum, ab ulteriore affusione abstine.

Pulvis albus, aqua depurata frigida affusa edulcoratus, intra chartam siccetur in umbra.

MU-

MURIAS HYDRARGYRO-AMMONIACALE ACERRIMUM.

HYDRARGYRUS MURIATUS FORTIOR, Pharm. Chir. Lond.

℞ Muriatis hydrargyro-ammoniacalis, quantum volueris,
Acidi muriatici, quantum sufficit.

Muriati hydrargyro-ammoniacali in vase vitreo tantum acidi admisce, quantum sub modico calore sufficiat ad solutionem, unde post debitam evaporationem, leni igne factam, liquore refrigerato, obtinentur crystalli, aquæ depuratæ pauxillo abluendæ et siccandæ.

Cuprum.

† *SULPHAS CUPRI.*

CUPRUM VITRIOLATUM. E. CUPRUM SULPHURICUM. B.

VITRIOLUM CUPRI.

℞ *Limaturæ cupri partem unam,*
Acidi sulphurici partes duas, vel quantum sufficit.

In cucurbita vitrea coque in balneo arenæ, ut solvatur limatura. Gas acidum sulphurosum erumpit, et massa fusca relinquitur, quæ

Aquæ quantitate sufficiente

solvenda, lixiviumque colatum evaporatione concentrandum,

dum, et frigido loco seponendum, ut crystallos largiatur, lege artis siccandas.

SULPHAS CUPRO-AMMONIACALE.

CUPRUM AMMONIATUM. B.

CUPRUM AMMONIACUM.

℞ Sulphatis cupri pulverati, quantum vis.

In vase vitreo sensim adde

Carbonatis ammoniæ alcalini liquidi, quantum sufficit,

donec finita sit effervescentia, et præcipitatum viride, ab initio natum, plane sit solutum. Liquori cyaneo adde

Parem Alcoholis vini quantitatem, aut majorem,

et crystallos e liquore excussas, coloris valde cœrulei, absque calore sicca, et in vitro accurate clauso serva.

Ferrum.

† *FERRUM PULVERATUM.*

LIMATURA FERRI PRÆPARATA, seu PURIFICATA.

℞ *Limaturæ ferri, ex ferro malleato puro confectæ, quantum placeat.*

Limaturam in saccum immitte linteum, pulverem tenuem se-

ſepara, quem, particulis heterogeneis ope magnetis debilioris liberatum, in lagena vitrea probe obturata ſerva.

† *OXYDULUM FERRI NIGRUM.*

FERRUM OXYDULATUM NIGRUM. B.

AETHIOPS MARTIALIS.

℞ *Ferri pulverati, quantum velis.*

Candenti crucibulo adſperge identidem pauxillum aquæ, expectans ad unamquamque immisſionem, donec, decompoſita et abacta aqua, igne denuo candeat metallum. Ita, ſubinde materiem agitans, continua, donec omni facie metallica privatum ferrum, opacam, nigricantem exhibeat masſam, quæ adhuc calida in pulverem terenda, per cribrum colanda, et vaſe clauſo ſervanda.

OXYDULUM FERRI FUSCUM.

FERRUM OXYDATUM FUSCUM.

CROCUS MARTIS.

℞ Sulphatis ferri, recens parati, quantum ſatis.

Solutioni colatæ affunde

Lixivii carbonatis potasſæ alcalini, quantum ſufficit, ut omne oxydulum præcipitetur.

Præcipitatum ablue aqua calida, ſicca, in pulverem redige exacte, et vaſe clauſo ſerva.

SUL-

SULPHURETUM FERRI.

PYRITES FERRI ARTIFICIALIS.

℞ Ferri pulverati partem unam,
Sulphuris depurati partem dimidiam.

Probe mixta, per parvum temporis ſpatium, in crucibulo terreo accurate clauſo rubescant, ac dein, post ſpontaneum refrigerium, in vaſe bene clauſo ſerventur.

† *SULPHAS FERRI.*

FERRUM VITRIOLATUM. E. et L. FERRUM SULPHURICUM CRYSTALLISATUM. B.

SAL MARTIS. VITRIOLUM MARTIS.

℞ *Ferri pulverati, vel ramentorum ferri, quantum velis.*

Per vices immitte in

Acidi ſulphurici fortis ſufficientem quantitatem,
Aquæ quadruplo dilutam.

Ceſſante effervescentia, digere liquorem per horam ſuper arenam calidam, percola et post debitam exhalationem ſepone, ut in cryſtallos concreſcat, vaſe clauſo, in loco obſcuro, ſervandas.

SUL-

SULPHAS FERRI SICCATUM.

FERRUM VITRIOLATUM EXSICCATUM. E. VITRIOLUM MARTIS CALCINATUM. A.

VITRIOLUM AD ALBEDINEM CALCINATUM.

℞ Sulphatis ferri, quantum vis.

In vase fictili, vitro non obducto, igni modico exponatur, donec albescat et siccissimum evadat.

SULPHAS FERRI CALCINATUM.

FERRUM VITRIOLATUM USTUM. E.

COLCOTHAR VITRIOLI.

℞ Sulphatis ferri, quantum vis.

Exsiccatum igne forti urgeatur, donec atro-rubrum acquirat colorem.

MURIAS FERRI.

FERRUM MURIATICUM.

FERRUM SALITUM.

℞ Oxyduli ferri fusci uncias tres,
Acidi muriatici, quantum satis.

Sub calida digestione fiat solutio, quæ, evaporatione ad siccitatem redacta, in patinam ferream immittatur.

Su-

Superimposito globo ferreo dimidiato, vel crucibulo Hassiaco maximo, et juncturis glarea Bruxellensi probe firmatis, sublimatio instituatur, igne sensim augendo, ut rubeat patinæ fundus, qui ignis gradus per sex saltem horas sustinendus. Refrigerato apparatu, sublimatum mox vasi vitreo, probe claudendo, includatur.

MURIAS FERRI LIQUIDUM.

TINCTURA FERRI. E. TINCTURA FERRI MURIATI. L. TINCTURA FERRI MURIATICI. B.

TINCTURA MARTIS SALITA.

℞. Muriatis ferri drachmam unam,
Aquæ depuratæ unciam unam.

Solve.

SOLUTIO MURIATIS FERRI COMPOSITA.

LIQUOR STIPTICUS.

℞. Oxydi ferri nativi, in pulverem tenuissimum redacti,
Acidi muriatici, utriusque uncias duas,
Muriatis ammoniæ, in pulverem triti, uncias sedecim.

Ex his probe commixtis in phiala ampla, igne arenæ prius lento, dein aucto, donec fundus rubescat, paretur murias ferri ammoniacale, sed propter incertam vim in of-

officinis haud ſervandum. Materia autem in fundo phialæ reſidua, fusca, auſtera, non abluta, aëri humido expoſita, deliquescat in liquorem aurantii coloris, ſpisſum, adſtringentem, vaſe vitreo, probe clauſo, ſervandum.

Juxta Pharmacopœam Amſtelodamenſem.

† *MURIAS FERRO-AMMONIACALE.*

FERRUM AMMONIATUM. E. FERRUM AMMONIACALE. L.

FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES.

℞ *Muriatis ammoniæ partes duodecim,*
Muriatis ferri partem unam.

Probe mixta et ſiccata ſublimentur. Sublimatum omne, in pulverem tenuisſimum redactum, in lagena probe claudenda ſervetur.

TINCTURA FERRI TARTARISATA.

TINCTURA MARTIS APERIENS.

℞ Sulphatis ferri,
Tartritis potasſæ acidulæ, utriusque uncias quatuor,
Aquæ depuratæ libras ſex.

Coque in vaſe ferreo, continue agitans, ad ſiccitatem. Adde

Vini albi gallici, libras quatuor,

et post digestionem aliquot dierum cola.

TINCTURA FERRI CYDONIATA.

loco TINCTURÆ FERRI POMATI. B.

TINCTURA MARTIS CYDONIATA.

℞ Ferri pulverati partem unam,
Succi Cydoniorum, recens expressi, partes tres.

Post aliquot dierum digestionem, subinde agitans, coque in vase ferreo, donec dimidia pars sit consumta; liquorique bene colato adde

Spiritus cinnamomi partem decimam sextam.

ALCOHOL SULPHURICO-ÆTHEREUS FERRI.

SPIRITUS SULPHURICO-ÆTHEREUS MARTIATUS B.

LIQUOR ANODYNUS MARTIATUS.

TINCTURA NERVINA BESTUSCHEFFII.

℞ Ferri pulverati, quantum vis.

Solve in

Acidi muriatici sufficiente quantitate, cum
Acidi nitrici quarta parte mixti,

et evapora. Massam siccam in cellam repone, ut in liquorem coloris fusci saturati deliquescat.

Li-

Liquorem acceptum misce cum

Ætheris sulphurici duplo

conquassando. Ætherem, hoc modo ferro soluto impræg̃natum, separa, et cum

Spiritus vini rectificatissimi duplo

misce.

Mixtum in vitris oblongis, bene obturatis, radiis solis tamdiu expone, donec color omnis evanuerit. Tum sollicite serva.

Juxta Pharmacopœam Borussicam.

Stannum.

OXYDULUM STANNI.

STANNUM PULVERATUM. L.

PULVIS STANNI. STANNUM PHILOSOPHICE PRAEPARATUM.

℞. Stanni Malaccensis purissimi, quantum velis.

Igne liquatum immitte in pyxidem ligneam, intus sulcis scabram, creta obductam; mox agita fortiter et celerrime. Ita pars stanni in pulverem dilabetur, per cribrum separandum. Quod relinquitur metallum eidem labori repetito subjiciatur, donec omne in pulverem sit conversum. Creta a metallo facile separatur, aqua affusa, cujus fundum petit metallum, quum terrestres particulæ leni agitatione eleventur. Potest pulvis hic in mortario

calido, triturando ad majorem tenuitatem deduci. Servetur quoque in officinis *ſtannum metallicum limatum*.

Plumbum.

OXYDULUM PLUMBI.

PLUMBUM USTUM.

℞. Plumbi, quantum velis.

Igni ſufficienti impone in patina terrea plana, ut fluat, et ſub continua agitatione in calcem griſeam redige, quam in tenuisſimum pulverem redactam, dicto titulo ſerva.

† *ACETIS PLUMBI LIQUIDA.*

AQUA LITHARGYRII ACETATA. B.

ACETUM PLUMBI ſeu ACETUM LITHARGYRII.

℞. *Oxydi plumbi ſemi-vitrei partem unam,*
Aceti vini partes quatuor.

In cucurbita vitrea angustioris colli, per viginti quatuor horas, ſubinde agitando digere: dein per tres quatuorve horas decoque leniter, aut donec chartam cœruleam non amplius tingat. Post refrigerationem liquor per chartam bibulam coletur et in vitro ſervetur.

† *ACE-*

† *ACETIS PLUMBI LIQUIDA CONCENTRATA.*

ACETUM SATURNINUM. B.

ACETUM PLUMBI CONCENTRATUM, sive EXTRACTUM SATURNI.

℞ *Acetitis plumbi, quantum velis.*

In vase vitreo vel terreo, vitro obducto, evaporetur ad olei vel syrupi tenuioris spissitudinem, quæ quidem optima, ubi mensura unius unciæ aquæ duas hujus liquoris uncias cum duabus drachmis continere potest.

Zincum.

OXYDUM ZINCI NATIVUM PULVERATUM.

LAPIS CALAMINARIS PRAEPARATUS.

℞ Oxydi zinci nativi, quantum vis.

In crucibulo igni exponatur, ac candens in aqua frigida exstinguatur, quod secunda, vel et tertia vice repetendum, donec debitam lapis acquisiverit fragilitatem. Mox exsiccatus tundatur in pulverem tenuem, qui porro in ampla pelvi cum aqua pura copiosa diffundatur, ita tamen, ut rudior in pelvi remanens materies post exsiccationem denuo contundatur ac diffundendo depuretur, ut ante, donec ferme tota in pollinem subtilissimum fuerit conversa.

† OXYDUM ZINCI.

ZINCUM USTUM. E. ZINCUM CALCINATUM. L. ZINCUM OXYDATUM ALBUM. B.

FLORES ZINCI.

℞ *Zinci Indici, quantum velis.*

Zincum in crucibulo alto capaci, primum tecto, dein aperto, et nonnihil in latus inclinato, fluat, donec flammam superficies concipiat. Imponatur inversum crucibulum aliud, ut tamen aër atmosphæricus possit accedere. Flamma extincta, superius crucibulum auferatur, ac separetur oxydum, cum vasis adhærens, tum metallo fuso innatans; quo facto, flamma denuo prorumpente, iterato oxydum formetur, ac separetur ut ante, donec omne metallum hanc formam induxerit. Oxydum super patinam sigulinam, vitro non obductam, refrigeratum, aquæ misceatur, eaque copiosa diffundatur, ut pars levissima separetur omnis, quam ad colum collige, accurate sicca, et vase clauso serva. Sit acido sulphurico plane solubile.

Oxydi sublimandi formatio juvatur, si zincum oxydandum, non simul et semel, sed per vices quantitate minore in crucibulum candens injiciatur.

† SULPHAS ZINCI.

ZINCUM VITRIOLATUM. E. et L. ZINCUM SULPHURICUM. B.

VITRIOLUM ALBUM.

℞ *Acidi sulphurici depurati uncias quatuor,*
Aquæ depuratæ uncias decem,

Zin-

Zinci Indici, in frustula comminuti, vel granulati, quantum sufficit ad saturitatem.

Acido, antea aqua diluto, immitte per vices zincum granulatum, donec plane saturatum sit; solutionem calidam per chartam cola, ac per evaporationem ac subsequens refrigerium crystallos excute, in bibula siccandas, ac vase clauso servandas.

Stibium.

† *OXYDULUM STIBII FUSCUM.*

STIBIUM OXYDULATUM FUSCUM. B.

CROCUS ANTIMONII ET METALLORUM.

℞ *Sulphureti stibii nativi,*
Nitratis potassae, utriusque paria pondera.

Trita in pulverem et accurate mixta, per vices immittantur in crucibulum candens. Cessante deflagratione materia metallica gravior in crucibuli fundo hærens, a scoriis albicantibus separetur, et in pulverem teratur, qui aquae fervidae repetita affusione probe abluatur et siccetur.

Si autem sulphureti stibii nativi partes duae cum nitratis potassae partibus tribus deflragrent, relinquitur Crocus antimonii Scheelianus, *pro* Oxydulo griseo *seu* Pulvere Algarotti.

OXYDULUM STIBII GRISEUM.

PULVIS ALGAROTTI.

℞ Oxyduli ſtibii fusci partem unam, ℥vj
Acidi ſulphurici partes duas, ℥ij ℥xii
Muriatis ſodæ ſicci partes tres, ℥iij ℥xviij
Aquæ communis partes quatuor. ℥iv ℥xxiv

Hæc mixta in balneo arenæ, in cucurbita, ſub perpetua agitatione, per duodecim horas calide digerantur; dein refrigeratum liquorem cola, et in copioſam fervidam aquam immitte, ut ad partem unam liquoris fere ſumantur

Aqua partes quadraginta. 72 Part

Præcipitatum griſeum, quum murias ſtibii oxydulatum contineat,

Aqua, quæ alcalini ſalis pauxillum tenet,

ſolutum, calide digeratur, dein probe ablutum, ſiccetur, et vaſe vitreo ſervetur.

† *OXYDUM STIBII NON ABLUTUM.*

STIBIUM OXYDATUM ALBUM NON ABLUTUM. B.

ANTIMONIUM DIAPHORETICUM NON ABLUTUM.

℞ *Sulphureti ſtibii nativi partem unam,*
Nitratis potaſſæ partes duas cum dimidia.

In pulverem trita et accurate mixta per vices in cru-

crucibulum candens immittantur, ſpatulaque ferrea durante deflagratione agitentur, ut materies æquabiliter deflagret et calcinetur. Ceſſante deflagratione, detineatur maſſa in crucibulo candefacto per quadrantem horæ, et refrigerata, in pulverem accurate trita, in vaſe bene obturato ſervetur.

† OXYDUM STIBII.

ANTIMONIUM USTUM CUM NITRO. E. ANTIMONIUM CALCINATUM. I. STIBIUM OXYDATUM ALBUM ABLUTUM. E.

ANTIMONIUM DIAPHORETICUM ABLUTUM.

Oxydo ſtibii non abluto, juxta præcedentem formulam parato,
Aquæ puræ fervidæ decuplum

affunde, et ſtrenua agitatione ſalia illi adhærentia ſolve, dein adde

Acidi ſulphurici ſufficientem quantitatem,

ut ſaturetur potaſſa, oxydi ſtibii partem ſolutam tenens.

Pulverem album, repetita aquæ fervidæ affuſione, tamdiu ablue, donec aqua inſipida inde redeat. Siccatum vaſe rite clauſo ſerva.

OXYDULUM STIBII VITREUM.

ANTIMONIUM VITRIFICATUM. L.

VITRUM ANTIMONII, ſeu STIBII.

℞ Sulphureti ſtibii nativi, quantum velis.

In pulverem contuſum, in patina ferrea plana, vitro non obducta, calcina leni igne, ſub camino, perpetuo virgula terrea, ne in grumos concrescat, agitans; quod ſi nihilominus contingat, ocyus patinam ab igne amove, et antimonium de novo in pulverem redige; vapores interea elevantur albi ſulphuroſi, qui cum hoc ignis gradu haud amplius obſerventur, ignem prudenter auge, ut iterum prodeant; et ita perge, igne ſenſim aucto, donec patinæ fundus rubescat, nullique amplius vapores egrediantur. Calcem hanc griſeam in crucibulo accurate tecto, ne carbones incidant, fluidam redde igne forti, et, virgula terrea immisſa, examina, num in fila, vitri vulgaris inſtar, extendi ſe patiatur, et probe pellúceat: hoc obſervato, effunde in patinam æneam calefactam. Vitrum ſit pellucidum, coloris rubri hyacinthini.

† *VINUM STIBIATUM.*

VINUM ANTIMONII. L.

VINUM ANTIMONIALE HUXHAMI.

℞ *Oxyduli ſtibii vitrei, in pulverem ſubtiliſſimum triti, unciam unam,*
Vini Hiſpani libras duas.

Di-

Digere dies duodecim, subinde agitans; dein sepone, ut subsidat, et vinum perfecte limpidum fiat, quod prudenter ab eo, quod subsidit, derivatum per chartam cola, et in vitro bene obturato serva.

Juxta Pharmacopœam Amstelodamensem.

† SULPHURETUM OXYDULI STIBII HYDROGENATUM.

SULPHUR ANTIMONII PRÆCIPITATUM. E. et L.
SULPHUR STIBIATUM AURANTIACUM. B.

SULPHUR AURATUM ANTIMONII.

℞ *Sulphureti stibii nativi partes duas,*
Sulphuris depurati partes tres,
Potassæ liquidæ,
Aquæ pluviæ, utriusque partes triginta duas.

Lixivio aqua diluto, in vase ferreo ebullienti, adde sulphur, et sulphuretum stibii; probe pulverata ac commixta, coque sæpe agitando ad plenam horum solutionem, aquam evaporatione evanescentem continuo restituens. Liquorem refrigeratum per chartam cola, et instilla gradatim

Acidi sulphurici diluti sufficientem quantitatem,

ad sulphuretum omne dejiciendum, quod per chartam separatum, aqua sæpius affusa ablue, et leni calore sicca.

† HY-

† *HYDROSULPHURETUM OXYDULI STIBII.*

SULPHUR STIBIATUM RUBRUM. B.

KERMES MINERALE.

℞ *Sulphureti stibii nativi,*
Carbonatis potassæ alcalini, utriusque partes quatuor,
Sulphuris depurati partem unam.

In pulverem tenuem redacta et probe commixta, funde in crucibulo igne moderato, et materiem liquefactam, in catinum ferreum effusam, protinus in pulverem tere, et in

Aquæ ebullientis partes quinquaginta

immitte; coque per quadrantem horæ, continue spatula agitans; parum jam quiescat liquor et fervidissimus per linteum, charta tenui bibula obtectum, coletur. Refrigerato liquore, qui ad fundum subsidit, pulverem rubicundum ope filtri chartacei separa. Materiem a prima operatione residuam cum liquido filtrato, restituta, quæ sub coctione exhalavit, aqua, denuo eadem ratione coque, et operationem hanc tamdiu repete, quamdiu pulverem talem rubicundum insigni copia refrigeratus liquor demittat. Præcipitata jam omnia probe mixta, aquæ puræ frigidæ repetita affusione edulcora, et lenissimo calore exsicca.

SUL-

SULPHURETUM CALCIS STIBIATUM.

CALCARIA SULPHURATO-STIBIATA. B.

CALX ANTIMONII CUM SULPHURE.

℞ Sulphureti oxyduli ſtibii hydrogenati partem unam,
Calcis recens ustæ partes tres.

Invicem tritis affunde

Aquæ fervidæ partes viginti quatuor,

et leni calore in vaſe porcellaneo, ſub continua agitatione exſicca, ac pulverem flavescentem vaſe rite clauſo ſerva.
Juxta Pharmacopœam Borusſicam.

SULPHURETUM HYDRARGYRI ET STIBII.

AETHIOPS ANTIMONIALIS.

℞ Sulphureti ſtibii nativi præparati partes tres,
Hydrargyri partes quatuor,
Sulphuris depurati partes duas.

Tere in mortario, donec globuli Hydrargyri plane disparuerint.
Juxta Pharmacopœam Amſtelodamenſem.

† MU-

† *MURIAS STIBII.*

ANTIMONIUM MURIATICUM. E. et L.
LIQUOR STIBII MURIATICI. B.

BUTYRUM ANTIMONII, seu CAUSTICUM ANTIMONIALE.

℞ *Oxyduli stibii fusci partes duas,*
Muriatis sodæ sicci partes octo,
Acidi sulphurici partes sex,
Aquæ communis partes quatuor.

Oxydulum stibii et murias sodæ, in pulverem trita, immitte in retortam, et adde sensim acidum sulphuricum, aqua dilutum. Retortæ, in balneo arenæ locatæ, applica tubum intermedium et excipulum amplum, aqua frigida immersum. Junctura firmentur. Ignis applicetur primo lenis, sensim augendus et perpetuandus, donec nihil amplius fluidi prodeat. Liquorem acquisitum protinus effunde in lagenam probe claudendam.

† *TARTRIS POTASSÆ STIBIATA.*

ANTIMONIUM TARTARISATUM. E. et L. TARTARUS STIBIATUS. B.

TARTARUS EMETICUS.

℞ *Oxyduli stibii grisei drachmas novem,*
Tartritis acidulæ potassæ uncias duas cum dimidia,
Aquæ depuratæ libras quinque.

Co-

Coque in vase vitreo per dimidium horæ, aut donec pulvis plane solvatur. Liquor colatus lente evaporetur ad pelliculam, et dein igne minuto in calore digestionis teneatur, ut sensim formentur crystalli, exsiccandæ, permiscendæ omnes, et terendae in pulverem subtilem, vase clauso servandum. Ita parata Tartris potassae stibiata sit plane aqua depurata solubilis.

Bismuthum.

NITRAS BISMUTHI.

BISMUTHUM OXYDATUM ALBUM. B.

NITRAS BISMUTHI BASI OXYDI INCOMPLETI. NITRAS BISMUTHI NEUTER.

MAGISTERIUM BISMUTHI.

℞ Acidi nitrici puri, pari aquæ depuratæ quantitate diluti, quantum vis,
Bismuthi, quantum sufficit.

Bismuthum in pulverem crassum contunde, et partitis vicibus in liquorem acidum immitte, donec nihil amplius solvatur. Solutionem colatam sensim immitte in

Aquæ depuratæ partes triginta duas,

ratione Bismuthi, quod hic solutum est. Præcipitatum album, decantato liquore supernatante, in filtrum chartaceum immitte, ut nitras acidulum, quantum fieri possit, separetur: e filtro exemtum, bis aut ter aqua depu-

ra-

rata ablutum, exsicca in loco calido umbroso, et vase, charta nigra obtecto, serva.

VEGETABILIA INTEGRA.

Vegetabilia Integra et Saccharum.

Conservæ.

REGULÆ PRO PARANDIS CONSERVIS.

1. Pro conservis seligenda Corpora Vegetabilia succosa, et principio volatili gravida; sint recentia, marcidis, corruptis, vel alienis adhærentibus purgata. Folia quam primum leviter aqua frigida laventur.

2. Concisa in mortario lapideo ope pistilli lignei in pultem tenuem contundantur.

3. Pulti saccharum album, purum, in pulverem tenuissimum redactum, per vices admisceatur, ut massa homogenea appareat, quæ vasis clausis, in loco frigido, servetur. Pro succulentis subtriplum sacchari, ac pro siccioribus sacchari duplum requiritur.

CONSERVA ABSINTHII.

℞. Summitatum Absinthii recentium, quantum vis,
Sacchari duplum pondus.

Sum-

Summitates depuratæ, concisæ et contusæ, cum saccharo redigantur in conservam juxta regulas, pro parandis conservis datas.

Eodem modo parentur

CONSERVA MENTHÆ PIPERITIDIS, e foliis.
CONSERVA RORISMARINI, e floribus et calycibus.
† *CONSERVA ROSARUM RUBRARUM, e petalis, rejectis unguibus.*

CONSERVA COCHLEARIÆ.

℞. Foliorum Cochleariæ recentium, quantum vis Sacchari triplum pondus.

Fiat conserva, ut ante dictum.

SOLUTIONES PLURIUM PRINCIPIORUM ORGANICÆ ORIGINIS.

Solutiones de Vegetabilibus Aquosæ Liquidæ.

Infusa et Decocta.

REGULÆ PRO PARANDIS INFUSIS ET DECOCTIS.

1. Vegetabilia illorumque partes, separatis corruptis, vel alienis adhærentibus, pro varia indole, antea dividantur, conscindantur, contundantur, vel terantur.

2. Duriora, antequam decoquuntur, prius macerationem, sive frigidam, sive calidam experiantur, quæ tamen non nimis est protrahenda, ne fermentatio oriatur.

3. Copia aquæ diversa sit, pro corporum infundendorum vel decoquendorum indole diversa.

4. Adhibeantur pro infusione seu coctione, vel vasa figulina, vitrea crusta obducta, vel stannea ex stanno puro.

5. Liquoris decoquendi volumini respondeat vasorum magnitudo, sed contractum semper sit eorum orificium, ne nimia superficie liquor, sub decoctione vel refrigerio, aërem atmosphæricum tangat. Aër enim indolem principiorum aqua solubilium mutat.

6. Fiat decoctio ignis gradu non nimis intenso, cæterum æquabili et non interrupto. Nimius calor plurima solvenda difficilioris solutionis reddit, ac intumescentiæ et ambustionis caussa est.

7. Terminus decoctionis, pro varia decoquendorum indole varius, adesse censetur, cum corpora emollita partes suas solubiles aquæ tradiderint.

8. Finita coctione, liquor fervidus per colum setosum aut linteum trajiciatur; dein concessa quiete, a fæcibus sponte demissis effundatur, aut ope panni vel lintei ab illis liberetur, vasisque clausis servetur. Decocta autem medicamentorum resinosorum non diu quiescant, sed calida colentur, ne simul cum fæcibus partes resinosæ efficaces separentur.

† DE-

† *DECOCTUM CORTICIS PERUVIANI FUSCI.*

℞. *Corticis Peruviani fusci pulverati uncias duas,*
Aquæ ferventis uncias viginti octo.

Decoque in vase tecto, moderato igne, horæ quadrantem; liquorem statim per pannum cola, et simul ac paulisper refrigescat, lagenæ probe claudendæ immitte. Sit colatura unciarum sexdecim.

Eodem modo paretur

† *DECOCTUM CORTICIS PERUVIANI RUBRI.*

Verum hic ad Corticis uncias duas, sumantur aquæ unciæ triginta duæ et colatura sit unciarum viginti.

DECOCTUM HORDEI DECORTICATI.

℞. Hordei decorticati uncias duas.

Affunde

Aquæ circiter libram,

et cum ea paulisper coque. Hac aqua abjecta, iterum ferventem adde aquam, ea quantitate, ut postquam placida coctione hordeum mollitum sit, remaneat decoctum fere librarum duarum cum semisse, quod absque expressione percolandum.

† *DECOCTUM HORDEI INTEGRI.*

AQUA HORDEI.

℞. *Hordei integri, bene maturi, uncias duas.*

Cum

Aquæ fere sextuplo

paulisper ebulliat, qua rejecta, iterum ferventem, sed majori quantitate, adde, ita ut, leni coctione instituta, post hordei crepitum, supersit colatura circiter librarum duarum.

Solutiones de Vegetabilibus Aquosæ Inspissatæ.

Extractum.

REGULÆ PRO PARANDIS EXTRACTIS.

1. Solutiones hæ inspissatæ seu Extracta, vel fiunt de substantiis siccioribus, vel magis succulentis. De prioribus principia colligenda, aqua addita, adhibita maceratione aut decoctione prius solvantur, et dein separentur; de posterioribus principia hæc utpote in aqua, vegetabilibus nativa, probe soluta, exprimantur. Hinc

1. *Extracta per infusionem vel decoctionem*,
2. *Extracta per expressionem*,

habentur

2. Ut Extracta per infusionem aut decoctionem fiant, paretur de extrahendis solutio aquosa (*a*) juxta regulas, pro parandis Infusis et Decoctis antea datas, hac tamen

(*a*) Rarius antea requiritur præparatio, qualem opium postulat de quo prius partes resinosæ sunt separandæ.

lege, ut post coctionem, preli ope, liquor omnis, residuis partibus non solubilibus adhærens, premendo eliciatur.

3. Ut Extracta per pressionem fiant, Vegetabilia succulenta, apto tempore collecta, separatis marcidis, corruptis et alienis adhærentibus, in mortario lapideo vel ligneo, pistillo ligneo, in pultem contundantur. Sub contusione tantum aquæ frigidæ adjiciatur, quantum requiritur, ut massa mollis et subfluida sit. Hac sacculis, ex linteo forti confectis, immissa, prelo exprimatur omne ejus fluidum, vase figulino vel vitreo excipiendum.

4. Liquor, sive per decoctionem, sive per expressionem solam collectus sit, quieti detur, ut sedimentum ponatur, dein effundatur aut, si opus sit, per pannum coletur: idem vero hic observandum, quod Art. 4. de Decoctis notavimus.

5. Liquor sic fæce liber, in pelvi stannea, leni igne sub crebra agitatione, in aëre libro, ad syrupi tenuioris spissitudinem redigatur. Qui decoctione antea paratus fuerit, leviter bulliat; qui vero per expressionem collectus, placide tantum evaporetur.

6. Liquor, qualis est syrupus tenuior, decoctione ante paratus, in vas figulinum, vitreum vel porcellaneum effundatur, ac leni igne, sub continua agitatione spatula lignea, ne grumi formentur, inspissetur ad Ex-

tracti formam. Qui autem per expressionem separatus est, in massam pilulis formandis idoneam redigatur, addito pulvere plantæ siccatæ illius, cujus extractum paratur. Uniuscujusque succi expressi evaporatio eo usque protrahatur, donec pulveris massa, quartæ parti succi adhibiti respondens, sufficiat, ut huic debita sit Extracti spissitudo.

7. Evaporatio in vasis cupreis prorsus sit interdicta.

8. Extracta vasis clausis serventur.

I. EXTRACTA PER INFUSIONEM VEL DECOCTIONEM.

† *EXTRACTUM ABSINTHII.*

℞ *Herba seu summitatum Absinthii, recens siccatarum et minutim concisarum, libras duas,*

Aquæ bullientis libras decem.

In vase tecto calide digerantur per viginti quatuor horas, dein per horam ebulliant. Post refrigerium liquor derivetur, et ex residuo succus exprimatur, priori admiscendus. Liquores hi secundum regulas datas fæce liberentur, et evaporentur tandem ad Extracti debitam spissitudinem.

Eodem modo parentur

† *EX-*

† *EXTRACTUM CENTAURÆI MINORIS, ex herba et floribus recentibus*

† *EXTRACTUM CHAMÆMELI, e floribus.*

EXTRACTUM COCHLEARIÆ, ex herba recente.

† *EXTRACTUM TARAXACI, ex herba et radicibus recentibus.*

EXTRACTUM ALOËS.

EXTRACTUM ALOËS AQUOSUM.

℞ Aloës succotrinæ, in pulverem redactæ, libram unam,
Aquæ libras duas.

Digerantur calide, in vase vitreo clauso, per tres dies, effundatur liquor refrigeratus, qui, concessa antea quiete, ut sedimentum ponatur, per chartam filtretur, ac lenissimo igne in vase vitreo evaporetur ad Extracti spissitudinem.

EXTRACTUM ANGUSTURÆ.

EXTRACTUM CORTICIS ANGUSTURÆ.

℞ Corticis Angusturæ, in pulverem crassum redacti, libram unam,
Aquæ bullientis libras decem.

Post digestionem calidam per viginti quatuor horas, in vase clauso coquantur per duas horas. Liquor calens coletur et seponatur. Residuo iterum addantur

aquæ bullientis libræ octo, iterumque coquantur per duas horas, et liquor calens exprimendo coletur. Liquores mixti tandem ad Extracti formam inspissentur.

Eodem modo parentur

EXTRACTUM BARDANÆ, e radice.
EXTRACTUM CASCARILLÆ, e cortice.
EXTRACTUM DULCAMARÆ, e stipitibus.
† *EXTRACTUM GENTIANÆ, e radice.*
EXTRACTUM GEOFFROYÆ, e cortice.
† *EXTRACTUM GRAMINIS, e radicibus recentibus.*
† *EXTRACTUM HELENII, e radice.*
EXTRACTUM HELLEBORI NIGRI, e radice.
EXTRACTUM SALICIS ALBÆ, e cortice recente.
EXTRACTUM SARSAPARILLÆ, e radice.
† *EXTRACTUM TORMENTILLAE, e radice.*
EXTRACTUM VALERIANÆ, e radice.

† *EXTRACTUM CORTICIS PERUVIANI FUSCI.*

℞ *Corticis Peruviani fusci, in pulverem redacti, libram unam,*
Aquæ bullientis libras duodecim.

Ebulliant per quartam horæ partem; vas ab igne remotum quiescat, donec partes non solutæ fundum petant; humor calens effundatur ac seponatur; residuum cum duodecim libris aquæ fervidæ iterum per dimidiam horam ebulliat, ac ut ante parum quiescat, et fervidum per pan-

pannum trajiciatur, tandemque de residuo exprimatur. Liquores commixti, sub continua agitatione, per evaporationem in Extractum reducantur.

Paretur duplex, alterum MOLLE, *ad pilulas formandas aptum, alterum* DURUM, *quod leni igne de priori exsiccato in pulverem teri possit.*

Simili modo paretur

†*EXTRACTUM CORTICIS PERUVIANI RUBRI, cum MOLLE, tum DURUM.*

† *EXTRACTUM LIQUIRITIÆ.*

SUCCUS LIQUIRITIÆ DEPURATUS.

℞ *Succi Liquiritiæ inspissati venalis, quantum velis.*

In frustula concisum, in aqua fervida macera, donec solvatur. Solutum per pannum laneum cola, ac dein igne evapora ad Extracti durioris crassitudinem.

EXTRACTUM OPII.

EXTRACTUM OPII GUMMOSUM.

℞ Opii crudi uncias duas,
Alcoholis,
Aquæ, utriusque uncias quatuor.

Digere biduum Opium cum Alcohole in phiala leni calore, dein exprime et per chartam cola. Quod in

linteo et charta remanet, solve in aqua lento igne in pultem. Dein per linteum exprimendo cola, et lenissimo calore evapora ad Opii crudi duritiem.

PULPA CASSIÆ.

℞. Fistularum Cassiæ, quantum velis.

Medulla e siliquis diffractis exemta, aqua fervida in mortario sensim affusa, redigatur in pultem, quæ demtis seminibus, et, quantum fieri possit, dissepimentis, per cribrum setosum terendo, depuretur, et, si veniat ejus usus, blando calore ad crassitudinem Extracti mollioris inspissetur.

Eodem modo paretur

PULPA TAMARINDORUM, e medulla fructuum Tamarindi orientalis.

2. EXTRACTA PER EXPRESSIONEM.

EXTRACTUM ACONITI.

℞. Herbæ Aconiti recentis, ante efflorescentiam abscissæ, quantum velis.

Herbam contusam, sacco linteo immissam, prelo subjice. Succum lenissimo igne inspissa, donec quarta pars pulveris herbæ Aconiti sufficiat, ut Extracti habeat mollitiem. Hic pulvis liquori refrigerato est admiscendus,

ut

ut fiat Extractum, vase clauso servandum, secundum regulas pro parandis Extractis.

Eodem modo parentur

EXTRACTUM ATROPÆ BELLADONÆ.
EXTRACTUM CHELIDONII MAJORIS.
† *EXTRACTUM CICUTÆ.*
EXTRACTUM STRAMONII.
EXTRACTUM FUMARIÆ.
EXTRACTUM HYOSCYAMI.
EXTRACTUM TRIFOLII AQUATICI.

Solutiones de Vegetabilibus Aquosæ et Saccharum Fluidæ.

Syrupi.

REGULÆ PRO PARANDIS SYRUPIS.

1. Fiant solutiones aquosæ de vegetabilibus secundum regulas, pro parandis Infusis, Decoctis ac Succis expressis, antea datas.

2. Sint hæ solutiones concentratæ, et pro varia indole limpidæ, ac saccharo saturentur puro crystallisato, albo, in pulverem tenuem redacto.

3. So-

3. Solutio cum saccharo fiat sub leni liquoris ebullitione. Nonnulli Syrupi hunc calorem non ferunt, ut ad singulos indicabitur.

4. Terminus ebullitionis seu mixtionis calidæ sit, si gutta liquoris calidi juxta vas porcellaneum inclinatum cum lentore diffluat, nec post refrigerium crystallos sacchari deponat.

5. Syrupi præparatio in vasis, ex stanno puro confectis, fiat.

6. Syrupi, potissimum qui ex Succis expressis parantur, non satis limpidi, per pannum colentur, et vasis clausis vitreis vel porcellaneis in loco frigidiori serventur.

† *SYRUPUS ALTHÆÆ.*

℞ *Radicis Althææ, minutim concisæ, uncias sex,*
Sacchari albi libras tres,
Aquæ bullientis libras octo.

Radix cum aqua bulliat, donec hujus pars dimidia evolaverit. Liquori colato, ac per subsidentiam fæce liberato, admisce saccharum, adhibita brevi ebullitione solvendum, Syrupumque per pannum laneum cola.

SYRUPUS CINNAMOMI.

℞ Cinnamomi corticis, in pulverem redacti, uncias quatuor,
Aquæ libram unam cum dimidia.

Di-

Digere in vase clauso, per triduum, liquorem dein exprime, fæce libera ac cola; admisce tandem

Aquæ Cinnamomi libram unam cum dimidia,
Sacchari albi libras tres.

Fiat blando calore Syrupus.

† *SYRUPUS CORTICIS AURANTIORUM.*

℞ *Corticum aurantiorum recentium, a substantia alba mundatorum, uncias decem,*
Aquæ libras quatuor,
Sacchari albi libras tres.

Digeratur cortex concisus in aqua, vase clauso per viginti quatuor horas, dein destillando abstrahe liquoris uncias tres, in quibus blando calore liquentur sacchari unciæ sex. Residuum porro exprimatur et liquori expresso ac colato reliquum sacchari admisceatur, quo facto, leni calore Syrupus fiat, qui frigefactus priori addatur.

Eodem modo parentur

SYRUPUS MENTHÆ CRISPÆ.
SYRUPUS MENTHÆ PIPERITIDIS, ex herba recens siccata.

SYRUPUS CORTICIS PERUVIANI FUSCI.

℞ Corticis Peruviani fusci uncias duas,
Aquæ ferventis uncias viginti octo.

De-

Decoque ad colaturam unciarum duodecim, adde

Sacchari puri uncias sex.

et coque in Syrupum.

Eodem modo paretur.

SYRUPUS CORTICIS PERUVIANI RUBRI.

SYRUPUS CYDONIORUM.

℞. Succi expressi fructuum Cydoniorum, per subsidentiam fæce liberati et colati, uncias sedecim,

Sacchari albi libras duas cum dimidia.

Leni calore in Syrupum redige.

SYRUPUS PAPAVERIS ALBI.

℞. Capitum Papaveris albi, leniter siccatorum et seminibus privatorum, libram unam,

Sacchari albi libras tres,

Aquæ bullientis libras triginta.

Capita concisa et contusa per viginti quatuor horas calide digerantur cum aqua, dein coquantur, donec octo libræ supersint. Liquor exprimatur ac coletur, quo facto, iterum coquatur ad dimidium, cui tandem per subsidentiam defæcato, saccharum adde ac coque in Syrupum.

SY-

SYRUPUS PAPAVERIS RHOEADOS.

℞ Petalorum recentium florum Papaveri Rhœados libram unam,
Sacchari albi libras tres,
Aquæ bullientis libras duas.

Petala in aqua calida digere per duodecim horas, liquorem expressum cola, ac, saccharo addito, leni ebullitione in Syrupum redige.

† *SYRUPUS RHEI.*

℞ *Rhei concisi uncias tres,*
Sacchari puri,
Aquæ bullientis, utriusque libras duas.

Macera Rheum in aqua horas duodecim, et post lenem ebullitionem exprime. Liquori colato et defæcato adde saccharum, ut leni calore fiat Syrupus.

† *SYRUPUS RUBI IDAEI.*

℞ *Succi expressi baccarum Rubi Idæi, colati, et per subsidentiam depurati, uncias sedecim,*
Sacchari albi libras duas cum dimidia.

Mixta leni calore in Syrupum redige.

Eodem modo paretur

SYRUPUS SUCCI CITRI.

SY-

SYRUPUS SENNÆ.

℞ Foliorum Sennæ mundatorum uncias octo,
Sacchari albi libras tres,
Aquæ bullientis libras quatuor.

Macera folia Sennæ in aqua horas duas et exprime. Liquori colato et defæcato adde ſaccharum, et leni igne redige in Syrupum.

† *SYRUPUS SIMPLEX.*

℞ *Sacchari puri libras octo,*
Aquæ bullientis libras quatuor.

Leni calore fiat Syrupus.

† *SYRUPUS VIOLARUM.*

℞ *Petalorum recentium florum Violæ odoratæ uncias octo,*
Sacchari albi libras tres,
Aquæ bullientis uncias viginti.

Macera quam leniſſimo calore petala in aqua horas ſex in vaſe vitreo clauſo, dein liquori leviter expreſſo et colato adde ſaccharum, et redige in Syrupum.

SY-

SYRUPUS ZINGIBERIS.

℞ Zingiberis albi, in pulverem redacti, uncias duas,
Sacchari albi libras ſex,
Aquæ bullientis libras tres.

Digeratur Zingiber in aqua calida in vaſe clauſo horas viginti quatuor. Liquori colato et defæcato admisce ſaccharum et redige in Syrupum.

Solutiones Aquoſæ et Saccharum Inſpisſatæ.

Rob et Gelatinæ.

REGULÆ PRO PARANDO ROB.

1. Fructus ſucculenti, maturi, ab alienis adhærentibus antea liberati, e quibus Rob paratur, in mortario lapideo pistilli ope in pultem contundantur.

2. Pro varia indole cum parca aquæ copia leniter ebulliant in vaſe, ſtanno probe obducto.

3. Triturando ad cribrum humor primum ſeparetur, ac dein prelo eliciatur ſucci reliquum, priori admiscendum.

4. Humor addito ſaccharo ebulliat, continuo agitetur

ac despumetur, donec debitam spissitudinem acquisiverit, ut refrigeratus in Rob concrescat.

† *ROB JUNIPERI.*

℞ *Baccarum Juniperi maturarum, quantum volueris.*

Baccæ in pultem contusæ, addita aquæ debita quantitate, coquantur per horam dimidiam. Succus triturando per cibrum separetur, et quod in cribro restat prelo exprimatur. Succi hujus partibus quatuor admisce

Sacchari albi partem unam,

ac leni igne evaporetur ad debitam spissitudinem.

ROB RIBESIORUM NIGRORUM.

℞ Baccarum Ribesiorum nigrorum, quantum volueris.

Baccæ contusæ cum parca aquæ copia per horam dimidiam sub continua agitatione leniter coquantur. Massam adhuc calidam cribra, et quod remanet fortiter exprime. Succi collecti partibus decem adde

Sacchari albi partes quatuor,

dein coque citissime, probe despumans, ad debitam spissitudinem.

Eodem modo paretur

ROB RIBESIORUM RUBRORUM.

† *ROB*

† *ROB SAMBUCI.*

℞ *Baccarum Sambuci, quantum velis.*

Succus eliciatur, ut ad Rob ribesiorum nigrorum dictum fuit. Succi autem hujus partibus quindecim

Sacchari albi partes tres

admisceantur, et coquendo fiat Rob, ut ante.

GELATINA CORNU CERVI.

℞ Cornu cervi rasi uncias quatuor,
Aquæ puræ libras quatuor,
Sacchari albi unciam unam,
Vini Rhenani,
Succi Citri, utriusque unciam dimidiam.

Coque cornu cervi, prius aqua tepida affusa mundatum, cum aqua lento igne, vase semper tecto, donec liquoris unciæ sex supersint. Colato liquori admisce saccharum; dein, additis vino et succo, leniter ebulliat, iterumque colatus seponatur loco frigido, ut fiat Gelatina.

GELATINA LICHENIS ISLANDICI.

℞ Lichenis Islandici unciam unam cum semisse,
Aquæ libras duas,
Sacchari albi uncias quatuor.

Coque Lichenem cum aqua leni igne vase tecto, donec post debitam expressionem per linteum liquoris unciæ sex supersint; dein adde saccharum et coque in

Syrupum, qui despumatus et colatus, refrigerando in Gelatinam coaguletur.

Solutio Aquosa et Mel.

Mel Medicatum.

MEL ROSARUM.

℞ Petalorum Rosarum rubrarum siccatorum uncias decem,
Aquæ bullientis libras sex,
Mellis despumati libras quatuor.

Macerentur petala in aqua per noctem, dein igne leni coquantur, et liquor exprimatur, cui colato ac defæcato admisce mel, et tandem blando calore ad Syrupi lenitudinem inspissa.

Solutiones Acetosæ.

Aceta Infusa.

ACETUM AROMATICUM.

ACETUM ANTISEPTICUM.

℞ Radicis Calami aromatici,
Radicis Angelicæ, utriusque drachmas sex,
Summitatum Absinthii vulgaris uncias duas cum dimidia,

Fo-

Foliorum Salviæ uncias tres cum dimidia,
Herbæ Rutæ uncias duas,
Macis drachmas duas,
Aceti vini libras octo.

Macera leni calore in vase vitreo, cono chartaceo clauso, per aliquot dies. Liquori per colum fortiter expresso, et dein per chartam filtrato, adde

Tincturæ Camphoræ unciam dimidiam.

Serva vase clauso.

ACETUM COLCHICI.

℞. Radicis Colchici autumnalis partem unam,
Aceti vini partes duodecim.

Radicem in taleolas sectam, vase clauso, in aceto frigido, sub crebra agitatione, digere per quatriduum. Humori limpido decantato adde

Spiritus vini partem unam,

et vase clauso serva.

† *ACETUM SCILLAE.*

ACETUM SCILLITICUM.

℞. *Radicis Scillæ, leviter siccatæ et minutim incisae, uncias quatuor,*
Aceti vini uncias viginti quatuor.

Digerantur in vase clauso leni calore per octiduum: liquori dein probe expresso adde

Spiritus vini uncias duas.

Postquam subsederit, liquor limpidus decantetur, ac servetur usui.

Solutiones Acetosæ et Mel.

Oxymella.

OXYMEL COLCHICI.

℞ Aceti colchici libram unam,
Mellis despumati libras duas.

Mixta et sedula tritura in mortario vitreo unita, decoque in vase stanneo vel figulino, ad mellis liquidi consistentiam.

† *OXYMEL SCILLAE.*

OXYMEL SCILLITICUM.

℞ *Aceti scillitici libram unam,*
Mellis despumati libras duas.

Mixta et per debitam agitationem vel trituram in mortario vitreo probe unita, leni igne in vase stanneo vel figulino, decoque ad mellis liquidi consistentiam.

† OXY-

† OXYMEL SIMPLEX.

℞ *Aceti vini libram unam,*
Mellis despumati libras duas.

Misce et in vase stanneo vel figulino leni igne ad mellis liquidi consistentiam coque.

Solutiones Vinosæ.

Vina Medicata, vel Infusa Vinosa.

† *VINUM AMARUM.*

ELIXIR VISCERALE HOFFMANNI.

℞ *Corticum Aurantiorum recentium sescunciam,*
Extracti Cardui benedicti,
Extracti Cascarillæ,
Extracti Centaurei minoris,
Extracti Gentianæ,
Extracti Myrrhæ aquosi, singulorum drachmas duas,
Vini Hispani libras duas.

Cortices cum vino digere biduum, et exprimendo cola; dein adde Extracta, ut solvantur.
Juxta Pharmacopœam Amstelodamensem.

VINUM AMARUM CUM SPIRITU VINI.

VINUM AMARUM. E. INFUSUM AMARUM VINOSUM. A.

℞ Radicis Gentianæ ſemunciam,
Corticis Peruviani fusci unciam unam,
Corticum Aurantiorum ſiccatorum drachmas duas,
Corticis Canellæ albæ drachmam unam,
Spiritus vini uncias quatuor,
Vini albi Hiſpani libras duas.

Conſcisſis radici et corticibus affunde primo ſpiritum vini, digere per viginti quatuor horas, tum adde vinum, macera per dies quatuor et cola.

Juxta Pharmacopœam Edinburgenſem.

VINUM IPECACUANHÆ.

VINUM ſeu TINCTURA IPECACUANHÆ. E. INFUSUM IPECACUANHAE VINOSUM. A.

℞ Radicis Ipecacuanhæ contuſæ unciam unam,
Vini albi Gallici uncias quindecim.

Macera triduum et per chartam cola.
Juxta Pharmacopœam Edinburgenſem.

† VI-

† *VINUM OPII AROMATICUM.*

TINCTURA OPII CROCATA. B.

LAUDANUM LIQUIDUM SYDENHAMI.

℞ *Opii crudi, e mundissima massæ parte desumti, uncias duas,*
Croci unciam unam,
Cinnamomi,
Caryophyllorum aromaticorum, singulorum drachmam unam,
Vini Hispani libram unam.

Digere subinde agitans quatriduum, et exprimendo cola.

Juxta Pharmacopœam Amstelodamensem.

VINUM OPII FORTIUS.

TINCTURA OPII VINOSA.

℞ Opii depurati uncias duas,
Vini Hispani uncias sedecim,
Spiritus vini graduum quindecim uncias quatuor.

Digere biduum et cola. Opii granum unum continetur in vini scrupulo dimidio.

Juxta Pharmacopœam Amstelodamensem.

VINUM RHEI.

INFUSUM RHEI VINOSUM. A.

℞. Rhei conscisſi uncias duas,
Canellæ albæ drachmam unam,
Spiritus vini uncias duas,
Vini albi Hiſpani libram unam.

Macera dies ſeptem et cola.
Juxta Pharmacopœam Edinburgenſem.

Solutiones Spirituoſae.

Tincturae. Esſentiae. Elixiria.

REGULÆ PRO PARANDIS TINCTURIS.

1. Corpora, ad Tincturas adhibenda, ſint antea pro diverſa eorum indole conciſa, contuſa vel in pulverem redacta.

2. Digestio cum ſpiritu vini fiat vel *frigida*, vel *calida*.

3. Digestio frigida in lagenis vitreis, epistomio vitreo clauſis, inſtituatur; calida vero in cucurbitis vitreis, ita amplis, ut digerenda dimidiam earum capacitatem ſolummodo repleant, et claudantur veſica madefacta, acu ſæpius perforata.

4. Spi-

4. Spiritus vini adhibendi gradus ejusque quantitas, tempus digestionis et caloris temperatura pro diversa digerendorum indole differunt: cavendum tamen, ne gradus caloris gradum nonagesimum sextum Thermometri Fahrenheitiani superet.

5. Sub digestione crebra mixtorum agitatio conducit.

6. Digestione peracta, liquor a residuo non soluto per pannum linteum leni pressione separetur, et dein per chartam bibulam filtretur ac lagenis clausis servetur.

Tincturæ vel de singulari corpore parantur, dictæ *simplices*; vel de pluribus junctis, dictæ *compositæ*.

I. SOLUTIONES SPIRITUOSÆ SIMPLICES.

TINCTURÆ SIMPLICES.

Harum præparandarum ratio sequentibus Tabulis exhibetur.

TINCTURÆ SIMPLICES DIGESTIONE FRIGIDA PARANDÆ.

Nomina.	Recipiatur pars una	Digeratur cum Spiritus vini grad.	part.	dies.
Tinctura Absinthii	Summitatum Absinthii siccatarum	15	6	3
† *Tinctura Aurantiorum.*	*Corticis Aurantiorum contusi*	15	6	6
Tinctura Benzoës	Benzoës	20	8	6
† *TincturaCamphoræ (a)*	*Camphoræ tritæ*	20	12	
† *Tinctura Cantharidum*	*Cantharidum*	20	8	6
† *Tinctura Castorei*	*Castorei Siberini concisi*	20	8	6
† Tinctura Cinnamomi	Corticis Cinnamomi contusi	20	8	6
TincturaCroci	Croci	15	3	8
† *Tinctura Rhei*	*Radicis Rhei contusæ*	15	8	6
Tinctura Serpentariæ	Radicis Serpentariæ contusæ	15	6	6
Tinctura Tolutani balsami	Tolutani balsami	20	8	6

(a) *Spiritus vini Camphoratus.*

TINC-

TINCTURÆ SIMPLICES DIGESTIONE CALIDA PARANDÆ.

Nomina.	Recipiatur pars una	Digeratur cum Spiritus vini grad.	part.	dies.
† Tinctura Aloës	Aloës Succotrinæ tritæ	15	8	3
Tinctura Angusturæ	Corticis Angusturæ contusi	20	8	6
† Tinctura Asæ foetidæ	Asæ foetidæ	20	8	6
† Tinctura Cascarillæ	Corticis Cascarillæ contusi	20	8	6
† *Tinctura Catechu*	*Catechu contusi*	15	6	3
Tinctura Contrajervæ	Radicis Contrajervæ contusæ	15	6	3
† Tinctura Corticis Peruviani fusci	Corticis Peruviani fusci, contusi	20	8	6
† Tinctura Corticis Peruviani rubri	Corticis Peruviani rubri, contusi	20	8	6
Tinctura Galangæ	Radicis Galangæ contusæ	15	6	3
† *Tinctura Gentianæ*	*Radicis Gentianæ contusæ*	15	6	3
Tinctura Geoffroyæ	Corticis Geoffroyæ Surinamensis contusi	20	8	6
Tinctura Guajaci	Ligni Guajaci contusi	20	8	6
Tinctura Helenii	Radicis Helenii contusæ	15	6	3
† Tinctura Jalappæ	Radicis Jalappæ contusæ	20	8	6
Tinctura Mastiches	Mastiches	20	8	6
† *Tinctura Myrrhæ*	*Myrrhæ*	20	8	6
Tinctura Quassiæ	Corticis ligni Quassiæ contusi	15	6	3
† *Tinctura Succini*	*Succini albi pulverati*	32	8	10
Tinctura Tormentillæ	Radicis Tormentillæ contusæ	15	8	6
† Tinctura Valerianæ	Radicis Valerianæ officinalis pulveratæ	15	6	3

II. SOLUTIONES SPIRITUOSÆ COMPOSITÆ.

TINCTURÆ COMPOSITÆ.

† *TINCTURA ACIDA AROMATICA.*

ELIXIR ACIDUM AROMATICUM.

ELIXIR VITRIOLI ACIDUM.

℞ *Aetheris sulphurici acidi uncias quatuor,*
Spiritus vini graduum viginti uncias octo,
Corticis Cinnamomi,
Radicis Zingiberis, utriusque unciam dimidiam.

Mixti ante liquores addantur aromatibus contusis, digerantur per octiduum vase clauso frigide, dein per chartam colentur, et Tinctura servetur usui.

TINCTURA ALOËS AQUOSA.

TINCTURA ALOËS.

℞ Aloës Succotrinæ, in pulverem redactæ, unciam dimidiam,
Extracti Liquiritiæ unciam unam cum dimidia,
Aquæ depuratæ,
Spiritus vini graduum quindecim, utriusque uncias octo.

Digerantur leni calore subinde agitanda, donec solvatur Extractum, dein per chartam cola.
Juxta Pharmacopœam Edinburgensem.

TINC-

TINCTURA ALOËS COMPOSITA.

ELIXIR APERITIVUM. TINCTURA ALOËS CUM MYRRHA, loco ELIXIRIS PROPRIETATIS.

ELIXIR PROPRIETATIS.

℞ Myrrhæ,
Aloës Succotrinæ,
Croci, ſingulorum unciam unam,
Spiritus vini graduum viginti uncias triginta.

Crocum tenuiter inciſum cum ſpiritu vini leni calore in cucurbita alta, viginti quatuor horas, digere: Tincturam post croci expresſionem collectam defunde in aliam cucurbitam, vel phialam chemicam, Aloën et Myrrham tritas continentem; deinde triduum, ſubinde agitans, iterum digere; postquam ſubſedit materies, qui ſupernatat liquor, a fæce caute ſeparetur, vel etiam per chartam bibulam coletur.

† *TINCTURA AMARA COMPOSITA.*

ELIXIR STOMACHICUM.

℞ *Radicis Gentianæ uncias duas,*
Corticum Aurantiorum Hiſpalenſium ſiccatorum unciam unam,
Canellæ albæ ſemunciam,
Spiritus vini graduum quindecim libras duas.

Macera dies quatuor, et per chartam cola.

PRIN-

PRINCIPIA SOLITARIA ORGANICÆ ORIGINIS ET EX ILLIS PRÆPARATA.

Mucilago.

MUCILAGO ARABICI GUMMI.

℞ Gummi Arabici, in pulverem redacti,
Aquæ fervidæ, pondera paria.

Solve gummi terendo cum aqua, per vices affusa, ut fiat Mucilago.

MUCILAGO CYDONIORUM SEMINUM.

℞ Seminum Cydoniorum drachmas duas,
Aquæ, quantum sufficit.

Sub lenissima ebullitione Mucilaginis consistentiam acquirant, dein per linteum cola.

MUCILAGO TRAGACANTHAE GUMMI.

℞ Gummi Tragacanthæ, in pulverem redacti, partem unam,
Aquæ ferventis partes quatuordecim.

Gummi pulveratum, sub continua, at leni, affusione aquæ fervidæ, tamdiu teratur, donec soluta sit in mollem et æquabilem Mucilaginem.

Pin-

Pingue Fixum Vegetabile.

Oleum Expressum.

OLEUM AMYGDALARUM.

℞ Amygdalarum recentium, quantum velis.

Contusas ope pistilli lignei in mortario lapideo, pannoque cannabino inclusas, prelo committe, et absque calore oleum exprime.

Eodem modo parentur

OLEUM HYOSCYAMI, ex seminibus Hyoscyami nigri, et

OLEUM RICINI, ex seminibus Ricini communis, exteriore tegumento probe liberatis.

OLEUM CACAO.

BUTYRUM CACAO.

℞ Seminum Cacao, inprimis Surinamensium, quantum velis.

Hæc leni igne torreantur, ut ita facilius cortice nudari possint. Dein in pulverem comminuantur, saccoque linteo inclusa, vapori aquæ ebullientis exponantur, et postquam ita totam massam intime penetravit vapor, saccus prelo moderate calido committatur.

Oleum butyraceum hac ratione expressum, leni igne liquatum, per linteum trajiciatur; aqua dein calida digeratur per aliquot horas, et refrigeratum eximatur.

Pingue Fixum Animale.

Pinguedo Animalis.

AXUNGIA PORCI DEPURATA.

℞ Axungiæ porci, quantum placet.

Ablatis membranis, concide in frustula, ac aqua tamdiu ablue, donec limpida et colore privata inde redeat. Hæc in cacabo ferreo mundissimo, modico igne, dum cochleari ligneo subinde subigatur, liquefiat: axungia fluida quam primum auferatur, dein per linteum colata, ac vasi figulino commissa, in loco frigido servetur.

Eodem modo depurentur

SEVUM OVILLUM, aliorumque animalium adeps.

Pin-

Pingue Fixum et Oxygenium.

AXUNGIA OXYGENATA.

℞. Axungiæ porci depuratæ partes ſedecim;
Acidi nitrici partem unam.

Leni igne liquefactæ axungiæ addatur acidum, et, ſub continua cum bacillo vitreo agitatione, tamdiu moderato calore liquida ſervetur, donec chartam cœruleam, ſucco *Lakmoes* coloratam, non amplius tingat. Erit albisſima, omni, quantum fieri posſit, acido adhærente liberata, vaſe clauſo in loco obſcuro ſervanda.

OLEUM OLIVARUM OXYGENATUM.

℞. Olei olivarum uncias ſedecim.

Immitte in excipulum amplum, in aqua frigida, aut nive, ſi præsto ſit, locatum. Applica huic retortam tubulatam, longioris rostri, in quam immitte

Muriatis ſodæ libram unam,
Oxydi magneſii nigri uncias quatuor,
Acidi ſulphurici depurati, dimidia parte aquæ diluti, libram dimidiam.

Vaſa luto non jungantur propter vapores acidi muriatici, qui continuo erumpunt. Ignem jam ſuppone ſub

camino adeo lenem, ut oleum vix incalescat, et acidum oxygenatum larga superficie excipiat, et decomponat in hunc modum, ut naribus, ad vasorum commissuras admotis, vix percipi queat. Ignis ita per biduum aut triduum, et, æstuosis diebus, per quatriduum saltem sustinendus. Excipuli, præsertim matutino tempore refrigerati, concussio, qua identidem mutetur olei superficies, commendanda; præsertim si major sit quantitas, propter quam hic labor suscipitur. Hac ratione præparatum oleum oxygenio, et, quod semper cum illo est conjunctum, calorico ita sit saturatum, ut spissioris syrupi habeat consistentiam. Hoc tandem, aqua frigida affusa, a pauco adhærente acido muriatico liberetur, vasisque exacte clausis, in loco frigido et obscuro, servetur.

Pingue Fixum et Sulphur.

Balsamum.

OLEUM LINI SULPHURATUM.

OLEUM SULPHURATUM. E.

BALSAMUM SULPHURIS SIMPLEX.

℞ Olei lini uncias octo,
Sulphuris depurati uncias duas.

Sulphur prudenter coque lenissimo igne cum oleo, donec solutio obtineatur.

Pin-

Pingue Fixum et Alcali.

Sapo.

† *SAPO ALBUS.*

SAPO MEDICATUS.

℞ *Carbonatis ſodæ alcalini,*
Calcis ustæ, utriusque libras quatuor,
Aquæ libras viginti.

Ebulliant ſimul. Liquor cauſticus per linteum colatus, et in vaſe clauſo ſubſidendo depuratus, evaporetur, donec ejus unciæ octo compleant vas, quod caperet uncias ſex aquæ communis. Liquori frigefacto in vaſe figulino admisce

Olei olivarum optimi duplum.

Seponatur vas loco temperato, et agitetur maſſa, per vices, ſpatula lignea, donec homogenea appareat, et ſpisſescere incipiat. Effundatur tum in cistas ligneas, planas. Indurata ſcindatur in taleolas, loco temperato exſiccandas.

Juxta Pharmacopœam Boruſſicam.

Simili modo paretur

SAPO DE CACAO.

Sed leni adhibito calore, quantum sufficit, ut liquesiat Oleum Cacao.

SAPO AMMONIÆ.

LINIMENTUM VOLATILE. LINIMENTUM AMMONIAE.

℞. Carbonatis ammoniæ alcalini liquidi unciam dimidiam,
Olei olivarum unciam unam cum dimidia.

Solve agitando in phiala.

SAPO AMMONIÆ FORTIOR.

LINIMENTUM VOLATILE FORTIUS. LINIMENTUM AMMONIAE FORTIUS.

℞. Ammoniæ puræ liquidæ unciam unam,
Olei olivarum uncias duas.

Solve agitando in phiala.

† *SAPO JALAPPINUS.*

℞. *Resinæ Jalappae,*
Saponis albi, utriusque uncias duas,
Spiritus vini rectificati graduum viginti, quantum sufficit, ut solvantur leni digestione.

Tum ad massae pilularis consistentiam evaporentur, Juxta Pharmacopœam Borussicam.

Pin-

Pingue Fixum et Partes Extractivæ.

Olea Infusa.

OLEUM CHAMÆMELI INFUSUM.

℞ Florum Chamæmeli vulgaris, recens siccatorum, uncias sex.

Abjectis flosculis radii albis, flosculis disci flavis affundantur

Olei olivarum libræ duæ.

Digere in vase clauso per plures horas balneo maris, postea oleum exprime. Sepone, ut partes crassiores subsidant; tandem oleum limpidum effunde, et vase clauso serva.

Eodem modo parentur

OLEUM ABSINTHII, ex summitatibus siccatis.
OLEUM HYOSCYAMI NIGRI, ex herba recenti.
OLEUM HYPERICI, ex summitatibus siccatis.
OLEUM LILIORUM ALBORUM, e petalis recentibus.

Pingue Fixum et Metallica.

Unguenta, Emplastra potissimum Saturnina.

Unguenta et Emplastra, quæ maximam partem ad Composita, in Sectione tertia relata, pertinent, eo referantur cuncta, etiam quæ proprie hujus loci forent.

Pingue Volatile seu Aroma Minerale.

OLEUM SUCCINI DEPURATUM.

℞. Olei succini, sub præparatione Acidi succinici collecti, quantum velis.

Oleum hoc cum sextuplo aquæ ex retorta vitrea, apposito excipulo, et firmatis juncturis, destilla leni igne, donec duæ tertiæ partes aquæ transierint. Prudenter dein oleum separa, et vasis clausis serva.

Pin-

Pingue Volatile, ſeu Aroma, Vegetabile.

Oleum Aethereum, ſive Deſtillatum.

REGULÆ PRO PARANDIS OLEIS ÆTHEREIS.

1. Corpora, e quibus oleum æthereum per deſtillationem est ſeparandum, ſint recens ſiccata, niſi contrarium expresſis verbis præcipiatur. Exſiccatio autem optime fiat leni furni calore, ſuper laminam metallicam. Si autem modo ordinario fiat, locus umbroſus eligatur.

2. Probe curandum, ut hæc corpora colligantur eo tempore, quo maximarum esſe virium deprehenduntur.

3. Debent pro varia indole ante deſtillationem conſcindi, contundi, in pulverem teri.

4. Maceratio aliquot dierum pro durioribus, addito aquæ ſale communi, hic commendanda.

5. Deſtillatio ope aquæ additæ fiat ex veſica cuprea, intus probe ſtanno obducta, cui alembicus imponatur ex ſtanno puro confectus, cum adnexo vaſe frigidario amplo, hujusque canali, itidem ex ſtanno puro confecto, ne ulla ratione vapores ex indole acida, quæ

in multis manifesta est, venenatam qualitatem contrahant.

6. Vesica quantumpote replenda est, ita tamen, ut ne turgens sub operatione materies in alembicum adscendat. Quo enim majus spatium supra destillanda detur, eo difficilius oleum adscendit. Parcior etiam aquæ copia est adjicienda, modo hæc sufficiat pro vehiculo olei, et simul empyreuma evitetur.

7. Ignis mox ab initio operationis ita augendus, ut aqua ebulliat. Quo citius operatio absolvatur, eo minus calori exponitur oleum, et hinc minus patitur fragrantiæ detrimentum.

8. Continuetur destillatio, donec duæ tertiæ partes aquæ adhibitæ transierint, aut potius eo usque, donec nullum amplius oleum transeat. In corporibus durioris compagis, aqua prolicita, oleo separato, residuo affundatur, quum sæpe secunda, quin imo tertia cohobatione olei quicquam transeat.

9. Aquam abstractam, quum multum olei solutum habeat, et eo quasi sit saturata, recentibus corporibus affusam, destillatione plus olei elicere, quam si utaris aqua simplici, facile intelligitur.

10. Potest etiam magna olei pars, quam aqua in hac operatione suscipit, inde separari destillatione: oleum quippe volatilius aquæ connubium relinquit, et cum primis aquæ libris transit.

11. Olea

11. Olea ab aquis ſeparanda, 1°. infundibulo vitreo, aut 2°. filis gosſypinis, quæ altero apice in oleum, altero in lagenulam, excipuli collo appenſam, demergunt. Hæc et alia multa, Pharmacopœi judicio ſunt relinquenda.

12. Olea ætherea, cum ſaccharo trita, Elæoſacchara conſtituunt. Drachma dimidia olei in hunc finem cum uncia una cum dimidia ſacchari albi teratur.

Ad has regulas ergo parentur

OLEUM ANISI, e ſeminibus.
OLEUM AURANTIORUM, e cortice fructuum.
OLEUM CARUI, e ſeminibus.
OLEUM CITREORUM, e cortice fructuum.
OLEUM FOENICULI, e ſeminibus.
OLEUM JUNIPERI, e baccis.
OLEUM LAVENDULÆ, e ſpicis florentibus.
OLEUM MENTHÆ CRISPÆ, ex herba.
OLEUM MENTHÆ PIPERITIDIS, ex herba.
OLEUM ROSMARINI, ex herba.
OLEUM RUTÆ, ex herba cum ſummitatibus.
OLEUM TANACETI, ex ſummitatibus.

Pingue Volatile, ſeu Aroma Animale.

OLEUM PYRO-ANIMALE.

OLEUM EMPYREUMATICUM ANIMALE.
OLEUM CORNU CERVI FOETIDUM.

℞. Ramenta Cornu Cervi, vel mammalium osſa, omni pinguedine accurate liberata, et in frustula redacta, quantum velis.

Immitte in retortam ferream vel terream, furno impoſitam, ut ignem posſit experiri apertum; applica cum tubo vitreo intermedio excipulum amplum, foramine in ventris parte ſuperiore inſtructum; juncturas omnes accurate claude, relicto foramine, pro lubitu aperiendo, ut vaporibus valde elasticis concedatur exitus. Ignem inſtrue initio lenem, dein ſenſim augendum, donec retortæ fundus candeat.

Ubi apparatus ad refrigerium rediit, ſeorſim collige ſublimatum ſal, liquorem alcalinum et oleum, quæ excipulum continet.

Oleum aqua calida ita ablue, ut ſalini nihil adhæreat, de aqua iterum ſepara, et ſerva.

OLEUM

OLEUM PYRO-ANIMALE DEPURATUM.

OLEUM ANIMALE DIPPELII. OLEUM CORNU CERVI RECTIFICATUM.

℞. Olei pyro-animalis, quantum velis,
Pulveris Carbonis vegetabilis quartam partem ponderis olei adhibiti.

In retortam vitream, collo amplo instructam, prudenter hæc immitte; cave ne parietes oleo inficiantur; appone excipulum vitreum, ac juncturas accurate claude. Destilla porro ex balneo arenæ, igne lenissimo, quamdiu oleum decolor prodit, quod lagenis vitreis exiguis, accurate replendis, epistomio vitreo probe firmandis, ac sub aqua collocandis, serva.

Pingue Volatile seu Aroma et Aqua.

Aquæ Destillatæ Aromaticæ.

REGULÆ PRO PARANDIS AQUIS DESTILLATIS AROMATICIS.

1. Corpora, huic operationi subjicienda, sint recenter siccata, nisi contrarium expressis verbis præcipiatur. Eximendæ hinc herbæ antiscorbuticæ, et in universum illæ, quarum principium volatilissimum siccando ni-

nimium avolat; ut ſunt flores Roſæ, Aurantiorum, Liliorum convallium, cæt.

Exſiccatio autem optime fiat leni furni calore ſuper laminam metallicam. Si autem modo ordinario fiat, locus umbroſus eligatur.

2. Debent pro varia indole ante deſtillationem conſcindi, contundi, in pulverem teri. Si duriora fuerint, maceratio per unum aut plures dies requiritur, ſive lenis ignis per horas aliquot ſub operationis initium applicandus, ut ita facilius particulæ activæ expellantur, et aqua ſuſcipiantur. Cave autem ne flores, volatiliſſimo principio donatos, hac ratione tractes; hi enim contuſi omni fragrantia orbantur.

In univerſum maceratio viginti quatuor horarum commendanda.

3. Veſica cuprea, ad deſtillationem adhibenda, intus probe ſtanno ſit obducta, et alembicus ſemper ex ſtanno puro ſit confectus, ne ulla ratione, quæ continetur aqua, propter indolem acidam, quæ in multis manifesta est, posſit veneno cupri inquinari.

4. Veſica non ultra duas tertias partes repleatur, ne durante ebullitione materia attollatur, in alembicum elevetur et ita operationem turbet.

5. Aquæ tantum debet addi, ut, postquam prolicita in-

inde fuerit debita quantitas, sufficiens in vesica relinquatur copia, ad præcavendum empyreuma.

6. Ignis, si debita prægressa fuerit maceratio, ad lenem ebullitionem augendus, ut rivuli in modum liquor in excipulum defluat, et curandum, ne in dolio refrigeratorio aqua nimis incalescat, ut omnis vapor condensetur, antequam in excipulum perveniat.

7. Pro illis corporibus, quorum oleum est admodum ponderosum, tam pro olei, quam pro aquæ destillatione, vesica humilior et minor, quam vulgaris, est sumenda; aut in retorta vitrea, adnexo excipulo, operatio est instituenda. Illud valet de Lauroceraso, etiam de Cinnamomo. Præterea hoc valet de substantiis admodum pretiosis, quæ raro, nisi parca quantitate, huic operationi subjiciuntur. Vitrea etiam vasa pro corporibus acidis eligenda.

8. Si oleum in superficie aquæ destillatæ conspiciatur, inde separandum exacte.

9. Aquæ abstrahendæ quantitas vix potest determinari. In universum, quando aquæ destillantis odor et sapor insigniter imminui deprehenduntur, sistenda operatio. Ut tamen minus in hac re expertis succurratur, sequentes adduximus proportiones, quæ, si corpora sint pro cujusvis varia indole omni dote efficacia, hic possunt observari.

10. In-

10. Ingratus aquarum recentium odor ſponte perit, et frigore multum corrigitur.

11. Aquæ ordinariæ quotannis ſaltem recentes in officinis præparentur.

12. Quod in veſica relinquitur, pro parando extracto potest inſervire; modo ſalia non ſint addita, quorum uſus in univerſum hìc nequit commendari.

13. Olea ætherea ad guttas quasdam cum pauxillo ſacchari trita, aut alcohole mixta, et aqua deſtillata ſoluta, aquarum medicinalium vices, ſi præsto non ſint, commode ſupplere poterunt.

Ad has regulas parentur aquæ deſtillatæ aromaticæ ſequentes, ea lege, ut ex adſcripta unicuique corpori, deſtillando quantitate decem libræ aquæ obtineantur.

AQUA CORTICUM AURANTIORUM, ex corticis fructuum recentis libris tribus.

AQUA FLORUM AURANTIORUM, ſeu NAPHÆ, ex florum recentium libris tribus.

AQUA FOLIORUM AURANTIORUM, ex foliorum libris tribus.

AQUA CEREFOLII, ex herbæ recentis libris duabus.

AQUA CHAMAEMELI, ex florum libris tribus.

† *AQUA CINNAMOMI, ex corticis libra una.*

AQUA COCHLEARIAE, ex herbæ florentis libris quatuor.

† *AQUA*

† *AQUA FOENICULI, ex ſeminum libra una.*

AQUA MAJORANÆ, ex herbæ libris duabus.

AQUA MENTHÆ CRISPÆ, ex herbæ libris duabus.

† *AQUA MENTHÆ PIPERITIDIS, ex herbæ libris duabus.*

AQUA PETROSELINI, ex ſeminum libra una cum dimidia.

AQUA PIMENTÆ, ex fructuum libra dimidia.

AQUA ROSMARINI, ex herbæ libris duabus.

AQUA ROSARUM PALLIDARUM, ex petalorum recentium libris quatuor.

AQUA RUTÆ, ex herbæ recentis cum capſulis ſeminalibus libris quinque.

AQUA SAMBUCI, ex florum libris tribus.

AQUA LAUROCERASI.

℞. Foliorum Lauroceraſi recentium uncias ſedecim.

Aquæ communis libras tres.

Folia Lauroceraſi minutim conſcisſa in retortam vitream immitte, iisque aquam affunde, et post debitam digestionem calidam viginti quatuor horarum, deſtilla uncias ſedecim, leni igne.

Pingue Volatile, seu Aroma, et Spiritus Vini.

Spiritus Simplices et Compositi.

REGULÆ PRO PARANDIS SPIRITIBUS.

1. Regulæ pro parandis Aquis destillatis et Oleis æthereis datæ, quæ spectant corporum destillationi subjiciendorum collectionem, eorumque præparationem, instrumenta dein adhibenda, ipsamque destillationem instituendam, hîc in universum sunt observandæ, nisi aliter præcipiatur.

2. Pro diversa corporum, destillationi committendorum, indole, Spiritus vini sumatur diversorum graduum, prout ad unamquamque formulam indicabitur. Plerumque Spiritus vini graduum decem sufficit.

3. Spiritus destillati, potissimum simplices, qui de singulari corpore aromatico fiunt, sint in universum graduum novemdecim, nisi oleum æthereum adeo ponderosum sit, ut spiritus ebullientis calore non transeat, ut in Cinnamomo; destillatio in tali casu erit protrahenda, ut Spiritus decimum gradum indicet. Talium etiam destillatio fiat in retorta aut vesica humiliore.

4. Ad

4. Ad destillationem Spirituum e corporibus, quorum principium activum admodum volatile est, balneum mariæ commendatur.

5. In universum maceratio per unum alterumve diem, ante destillationem, vasis clausis, convenit.

6. Affundatur destillandis aquæ sufficiens quantitas ad empyreuma evitandum.

Ad has regulas parentur cum *Simplices*, tum *Compositi*.

I. SPIRITUS SIMPLICES.

SPIRITUS CARUI.

℞. Seminum Carui contusorum libram dimidiam, Spiritus Vini graduum decem, libras octo.

Post debitam macerationem destilla, ut Spiritus provocatus sit graduum novemdecim.

Eodem modo parentur

† *SPIRITUS LAVENDULÆ, ex spicarum Lavendulæ florentium libris duabus.*

SPIRITUS MENTHÆ CRISPAE, ex herbæ Menthæ crispæ libris duabus.

SPIRITUS MENTHÆ PIPERITIDIS, ex herbæ Menthæ piperitidis libris duabus.

SPIRITUS PIMENTAE, ex fructuum Pimentæ tusorum libra dimidia.

† *SPIRITUS RORISMARINI, ex summitatum florentium Rorismarini recentium libris duabus.*

SPIRITUS CINNAMOMI.

℞ Corticis Cinnamomi contusi sesquilibram,
Spiritus Vini graduum decem, libras octo.

Macera per quatriduum, et destilla, donec Spiritus provocatus sit graduum decem.

† *SPIRITUS COCHLEARIAE.*

℞ *Herbæ recentis Cochleariæ florentis libras quatuor,*
Spiritus Vini graduum quindecim, libras quinque.

Destilla ut ante.

SPIRITUS CORTICUM AURANTIORUM.

℞ Corticum Aurantiorum recentium libras duas,
Spiritus Vini graduum decem libras quatuor.

Post macerationem per biduum, destilla ut ante.

Eodem modo paretur

SPIRITUS CORTICUM CITRI.

SPI-

II. SPIRITUS COMPOSITI.

SPIRITUS AROMATICUS.

loco SPIRITUS CARMINATIVI SYLVII.

℞ Herbæ Majoranæ,
Cinnamomi,
Nucis Moſchatæ,
Caryophyllorum aromaticorum, ſingulorum unciam dimidiam,
Seminum Coriandri unciam unam,
Spiritus Vini graduum decem, uncias triginta duas,
Aquæ pluvialis uncias ſex.

Post macerationem per biduum eliciantur inde Spiritus unciæ viginti.

SPIRITUS AROMATICUS AMMONIACALIS.

loco SPIRITUS SALIS VOLATILIS OLEOSI ET AROMATICI.

℞ Corticum Citri recentium ſesquiunciam,
Cinnamomi,
Nucis Moſchatæ,
Caryophyllorum aromaticorum, ſingulorum drachmas duas,
Muriatis ammoniæ unciam unam,
Carbonatis potasſæ alcalini uncias duas,
Spiritus vini graduum decem libras duas.

Post maçerationem per biduum ex retorta vitrea destillatione eliciantur unciæ quatuordecim.

SPIRITUS COCHLEARLÆ COMPOSITUS.

AQUA SEU CEREVISIA ANTISCORBUTICA SYDENHAMI.

℞. Herbæ florentis recentis Cochleariæ uncias quadraginta,
Herbæ siccatæ Salviæ,
Herbæ Menthæ crispæ, utriusque uncias tres,
Corticum recentium Aurantiorum libram dimidiam,
Nucis Moschatæ unciam dimidiam,
Spiritus frumenti libras tres,
Aquæ puræ libras novem.

Scissa et contusa macera triduum, dein destilla libras sex.
Juxta Pharmacopœam Amstelodamensem.

SPIRITUS JUNIPERI COMPOSITUS.

℞. Baccarum Juniperi, bene contusarum, libram unam,
Seminum Carui,
Seminum Foeniculi dulcis, utriusque sesquilibram,
Spiritus Vini graduum decem libras novem.

Ma-

Macera biduum, et addito aquæ, quantum ſufficit, ad evitandum empyreuma, deſtillatione eliciantur libræ novem.

Juxta Pharmacopœam Edinburgenſem.

SPIRITUS MELISSÆ COMPOSITUS.

AQUA MELISSÆ MAGISTRALIS.

℞ Foliorum Meliſſæ, modice ſiccatorum, uncias quatuor,
Corticum recentium Citri,
Nucis Moſchatæ,
Seminum Coriandri, ſingulorum unciam unam,
Caryophyllorum aromaticorum,
Cinnamomi, utriusque unciam dimidiam,
Spiritus vini graduum decem libras quinque.

Sciſſa et tuſa macera triduum, dein deſtilla libras tres.

Juxta Pharmacopœam Amſtelodamenſem.

Pingue Volatile, ſeu Aroma, et Sulphur.

Balſamum.

OLEUM TEREBINTHINAE SULPHURATUM.

BALSAMUM SULPHURIS TEREBINTHINATUM.

℞ Olei Lini ſulphurati uncias duas,
Olei Terebinthinæ uncias ſex.

Misce, ut ſolvantur.

Reſinæ.

RESINA CORTICIS PERUVIANI FUSCI.

℞ Corticis Peruviani fusci, in pulverem grosſum contuſi, libras quatuor.

Cucurbitæ vitreæ vel phialæ altæ immittantur, et affundantur

Spiritus vini graduum triginta libræ decem.

Digerantur ſub crebra verſatione, in balneo arenæ, per tres dies, postea Spiritus decantetur, ejusque eadem quan-

quantitas, ac ante, residuo denuo affundatur, et post digestionem debitam in balneo arenæ iterum decantetur. Residuum preli ope exprimatur, quo facto, tres hi liquores misceantur, et ad subsidendum seponantur. Post decantationem adde

Aquæ communis libras octo,

et destillando modico igne omnem Spiritum abstrahe. Resina fundo vesicæ adhærens eximatur, et aqua depurata frigida tamdiu abluatur, donec resina omnis saporis sit expers. Liquor remanens magnam adhuc resinæ quantitatem continet, quæ sub evaporatione forma grumosa fundum petit, aqua frigida probe abluta priori admiscenda.

Omnis Resina, quam tibi comparaveris, spiritu vini graduum viginti emollita, et in massam redacta, calore leni exsiccetur et servetur.

Eodem modo parentur

RESINA CORTICIS PERUVIANI RUBRI,

et

RESINA JALAPPÆ.

ALCOHOL ET EX ALCOHOLE PRÆPARATA.

Alcohol.

Spiritus Vini et Alcohol.

† *SPIRITUS VINI DEPURATUS.*

SPIRITUS VINI RECTIFICATUS GRADUUM VIGINTI, et SPIRITUS VINI RECTIFICATISSIMUS GRADUUM TRIGINTA.

℞. *Spiritum vini venalem bonæ notæ, in quo ad minimum Areometrum ad duodecimum gradum descendit.*

Destilla apto apparatu, ut graduum fiat viginti, ac serva titulo Spiritus vini graduum viginti.

Quem obtinueris Spiritum, iterum tamdiu destilla, ut ante, donec graduum fiat triginta, ac serva titulo Spiritus vini graduum triginta.

ALCOHOL.

ALCOHOL ALCALISATUM GRADUUM TRIGINTA DUORUM ET TRIGINTA QUATUOR.

℞ Spiritus vini graduum viginti, libras quinque, Carbonatis potassæ alcalini, bene siccati, libram unam.

Misce et sepone viginti quatuor horas, in vase vitreo probe clauso, subinde agitans. Sale in liquorem resoluto, decanta Spiritum, cui denuo affunde

Carbonatis ejusdem potassæ libram unam,

ut ante, liquoremque separa; idque opus repete, donec sal non amplius humectetur. Decanta tum Spiritum, et addita adhuc ejusdem

Carbonatis potassæ siccissimi et calidi libra una,

leni igne, vasis vitreis siccissimis destilla fere ad siccitatem. In eo, quem obtinueris Alcohole, Areometrum notabit in calore sexaginta sex graduum, juxta scalam Thermometri Fahrenheitiani, gradum trigesimum secundum.

Si tali Spiritui, in quo Carbonas potassæ siccissimum persistit, tandem admisceatur

Muriatis calcis siccissimi et calidi libra una,

ac dein leni igne, vasisque vitreis, ut ante, fere ad siccitatem usque destillatio instituatur, notabit Areometrum, in calore sexaginta sex graduum, ad scalam Thermometri Fahrenheitiani, gradum trigesimum quartum, seu gradum Alcoholis purissimi.

Al-

Alcohol et Acida.

Acida Dulcificata.

AETHER SULPHURICUS ACIDUS.

ELIXIR ACIDUM HALLERI.

℞. Acidi ſulphurici depurati,
Spiritus vini depurati graduum triginta, pondera paria.

In phialam vitream, probe claudendam ac refrigeratam, immitte Spiritum vini, inſtilla dein cauta manu per vices acidum, ac post digeſtionem per triduum, humorem mixtum vaſe clauſo ſerva.

AETHER SULPHURICUS.

AETHER VITRIOLI.

℞. Alcoholis,
Acidi ſulphurici depurati, utriusque libras quatuor. ana ℥xxiv

Alcoholi quantum fieri posſit frigido acidum admisce, caute agitans, dein lagena vitrea bene clauſa contentum in locum frigidum ſepone per aliquot dies; tum in retortam tubulatam, ope infundibuli, cauda longiori

giori instructi, immitte, excipulum parte inferiori foramine instructum epistomio suberino clauso admove; commissuras luto et vesica duplici muniendas probe firma, et ex balneo arenæ, eo calore, ut liquor protinus ebulliat, destilla. Destillando abstrahe liquoris uncias sex, de excipulo per foramen, in fundo factum, eximendas, ac dein iterum liquori in retorta admiscendas: tum destillando perge, donec in retortæ collo guttæ quasi oleosæ, non amplius cohærentes, striarum ramosarum instar observentur. Liquori destillato adde

Aquæ depuratæ dimidium,

et post debitam agitationem Aetherem supernatantem lagenis accurate replendis, bene munitis, et inversis sub aqua positis, ad usum serva. Si Aether odorem sulphurosum adhuc spargat,

Oxydi magnesii nigri, et
Magnesiæ ustæ partes æquales

ei adjiciendæ, ad saturitatem usque, et destillatio de novo instituenda.

ÆTHER SULPHURICUS ALCOHOLICUS.

LIQUOR ANODYNUS MINERALIS HOFFMANNI.

℞ *Alcoholis*,
Aetheris sulphurici partes æquales.

Misce.

ÆTHER

ÆTHER NITRICUS.

℞. Acidi nitrosi uncias decem,
Aquæ depuratæ uncias quinque,
Alcoholis uncias duodecim.

Acidum nitrosum in lagenam ampliorem, in balneo frigido, si fieri possit, glaciali positam, immitte; affunde cauta manu Aquam per tubum vitreum ita inclinatum, ut juxta parietem internum lagenæ lente defluat, tum eodem modo Alcoholem adde; sic, triplici strato, incumbet Acido Aqua, Aquæ Alcohol. Lagenam accurate clausam in locum frigidum per plures dies sepone, nec vero agita. Quiescant hi liquores, donec spontanea illorum unio ita obtineat, ut stratum liquidum ex flavo aurantium, quod Æther nitricus est, formatum sit.

Tandem Ætherem separa, ac retorta vitrea leni igne destilla, et lagenis vitreis accurate clausis, inversis sub aqua, in loco admodum frigido caute serva.

† *ÆTHER NITRICUS ALCOHOLICUS.*

SPIRITUS NIRTI DULCIS.

℞. *Spiritus vini graduum triginta, libras duas cum semisse,*
Acidi nitrosi concentrati libram unam.

In retortam tubulatam, spiritum rectificatissimum continentem, et ante in balneo arenæ firmatam, et cum exci-

pu-

pulo junctam, partitis vicibus, per tubum vitreum, acidum cauta manu adjice; relinquatur per aliquot dies mixtum; tum leni calore destillando tantum liquoris abstrahe, quantum valent duæ circiter partes Spiritus vini adhibiti. Si acidum abundet, oxydo magnesii nigro fiat rectificatio.

ÆTHER MURIATICUS ALCOHOLICUS.

SPIRITUS SALIS DULCIS.

℞ Muriatis sodæ siccissimi et decrepitati uncias octo,
Oxydi magnesii nigri nativi, pulverati, unciam unam.

Retortæ vitreæ tubulatæ immissis affunde miscelam ex

Alcoholis unciis duodecim, et
Acidi sulphurici unciis quatuor.

Retorta balneo arenæ imposita, et excipulo rite adglutinato, leni igne duas tertias circiter partes Ætheris muriatici alcoholici abstrahe.

ÆTHER ACETICUS.

℞ Acetitis potassæ,
Alcoholis, utriusque uncias sedecim,
Acidi sulphurici depurati uncias sex.

Immitte Acetitim potassæ in retortam vitream tubula-

latam, balneo arenæ commisſam, et cum amplo excipulo probe junctam, dein per tubum retortæ affunde acidum, antea cum Alcohole debite mixtum; quo facto, et tubo bene clauſo, deſtilla leni igne ad ſiccitatem usque. Liquori deſtillato admisce

Aquam calcis,

et Ætherem ſupernatantem ſepara, quam in lagena vitrea, obturamento vitreo rite munita, ſerva.

SEC-

SECTIO TERTIA.

MEDICAMENTA OFFICINALIA COMPOSITA, NULLA HABITA RATIONE EFFICACIÆ CHEMICAE, QUAM EORUM PRINCIPIA IN SE INVICEM EXERCENT.

Pulveres.

PULVIS AROMATICUS.

SPECIES AROMATICÆ.

℞ Corticis Cinnamomi,
Seminum Cardamomi minoris,
Radicis Zingiberis, ſingulorum uncias duas.

Misce. Fiat Pulvis, in vaſe vitreo bene obturato ſervandus.

Juxta Pharmacopœam Edinburgenſem.

PULVIS FUMALIS.

℞ Benzoës,
Succini,
Mastiches,
Olibani, ſingulorum drachmas ſex,
Cascarillæ ſemunciam.

In pulverem craſſum trita misce.

† *PULVIS GUMMOSUS.*

PULVIS DIATRAGACANTHAE.

℞ *Gummi Arabici,*
Gummi Tragacanthæ,
Sacchari puri, ſingulorum unciam unam.

In pulverem trita misce

† *PULVIS IPECACUANHÆ CUM OPIO.*

PULVIS DOVERI. PULVIS SUDORIFICUS.

℞ *Pulveris radicis Ipecacuanhæ,*
Opii puri, utriusque ſcrupulum unum,
Sulphatis potasſæ drachmas tres.

Misce, et vaſe probe clauſo ſerva.

PULVIS MYRRHÆ COMPOSITUS.

℞ Myrrhæ ſemunciam,
Opoponacis,
Sagapeni,
Castorei, ſingulorum drachmas duas,
Olei Menthæ,
Olei Rutæ, utriusque guttas quatuor.

In pulverem redacta misce, et vaſe bene clauſo ſerva.

Juxta Pharmacopœam Amſtelodamenſem.

† *PUL-*

† *PULVIS SALINUS COMPOSITUS.*

PULVIS ANTISPASMODICUS. PULVIS NITROSUS CINNABARINUS.

℞ *Nitratis potassæ unciam unam,*
Sulphatis potassæ semunciam,
Sulphureti Hydrargyri rubri, factitii, drachmas duas.

In pulverem trita misce.
Juxta Pharmacopœam Amstelodamensem.

† *PULVIS STERNUTATORIUS.*

PULVIS ASARI COMPOSITUS. E.

℞ *Foliorum exsiccatorum Asari,*
Foliorum exsiccatorum Majoranæ,
Florum siccatorum Lavendulæ, pondera paria.

Omnia simul in pulverem trita vase clauso serventur.

PULVIS TERRESTRIS.

PULVIS ANTACIDUS.

℞ Pulveris lapidum cancrorum uncias duas,
Carbonatis magnesiæ unciam unam.

Misce.

Electuaria.

ELECTUARIUM CATECHU.

CONFECTIO JAPONICA, loco DIASCORDII FRACASTORII.

℞ Succi, seu Extracti, Catechu uncias quatuor,
Gummi Kino uncias tres,
Corticis Cinnamomi,
Nucis Moschatæ, utriusque unciam unam,
Opii, in Vini albi Hispani quantitate sufficiente diffusi, drachmam unam et dimidiam,
Syrupi rosarum rubrarum, ad mellis spissitudinem cocti, libras duas et quadrantem.

Misce. Fiat Electuarium.
Juxta Pharmacopœam Edinburgensem.

† *ELECTUARIUM OPIATUM.*

ELECTUARIUM THEBAÏCUM, loco THERIACAE ANDROMACHI.

℞ *Pulveris aromatici uncias sex,*
Radicis Serpentariæ Virginianæ, in pulverem tenuem tritæ, uncias tres,
Opii depurati, in Vini albi Hispani quantitate sufficiente diffusi, semunciam,
Mellis despumati libram unam.

Misce. Fiat Electuarium.
Juxta Pharmacopœam Edinburgensem.

† *ELEC-*

† *ELECTUARIUM SENNAE CUM PULPIS.*

ELECTUARUM LENITIVUM.

℞ *Foliorum Sennæ uncias octo,* ℥ij
Seminum Coriandri uncias quatuor, ℥j
Radicis Glycyrrhizæ uncias tres, ℥iij
Fructus Caricarum libram unam, ℥iij
Pulpæ Tamarindorum,
Pulpæ Cassiæ fistularis,
Pulpæ Prunorum Gallicorum, singularum libram dimidiam, ℔ss
Sacchari purissimi libras duas cum dimidia. ℔ij ss

Sennam cum seminibus Coriandri tere, et per cribrum separa pulveris mixti uncias decem. Residuum ℥ij ss *cum Caricis et Glycyrrhiza in*

Aquae libris quatuor ℥j.

decoque ad dimidium, dein exprime et cola. Liquorem colatum per evaporationem absume ad libram circiter cum semisse. Postea adde saccharum, ut fiat Syrupus. Hunc Syrupum adde gradatim pulpis, et postremo immisce pulverem.

Juxta Pharmacopœam Edinburgensem.

Trochisci.

TROCHISCI BECHICI ALBI.

℞. Gummi Arabici,
Sacchari purissimi, utriusque uncias octo.

Misceantur, et solvantur in

Parva aquæ depuratæ quantitate.

Solutionem colatam, leni igne, sub continua agitatione evapora, et sub finem evaporationis admisce

Albuminis ovorum, Aqua Naphæ subacti, uncias quatuor,

et in formam Trochiscorum redige.

TROCHISCI BECHICI NIGRI.

TROCHISCI GLYCYRRHIZÆ. E. ET L.

℞. Succi Liquiritiæ depurati,
Gummi Arabici, utriusque uncias duas,
Sacchari purissimi uncias quatuor.

Misce et solve in

Aquæ depuratæ quantitate sufficiente,

solutionem colatam leni igne evapora in massam, formandis Trochiscis aptam.

TRO-

TROCHISCI CATECHU.

℞. Succi Catechu depurati,
Gummi Arabici, singulorum uncias tres,
Sacchari purissimi uncias decem.

Exactissime mixta cum

Aquæ Rosarum debita quantitate,

fiant Trochisci.

Pilulæ.

† *PILULAE ALOËTICAE.*

℞. *Aloës succotrinæ, in pulverem tritæ,*
Extracti Gentianæ, pondera paria.

Misce, et cum

Syrupo simplici
in massam pilularem redige.
Juxta Pharmacopœam Edinburgensem.

PILULÆ ALOËS CUM MYRRHA.

PILULÆ RUFI.

℞. Aloës ſuccotrinæ, uncias duas,
Myrrhæ,
Croci, utriusque unciam dimidiam.
Syrupi ſimplicis, quantum ſufficit, ùt fiat maſſa, pilulis formandis idonea.

Juxta Pharmacopœam Edinburgenſem.

PILULÆ ALOËS CUM COLOCYNTHIDE.

PILULÆ COCHIÆ.

℞. Aloës ſuccotrinæ,
Scamonii præparati, utriusque uncias duas,
Sulphatis potaſſæ ſulphuroſi drachmas duas,
Colocynthidis unciam unam,
Olei Caryophyllorum aromaticorum drachmas duas.

Aloë, Scammonio, Sale et Colocynthide, in pulverem ſubtiliſſimum redactis, et invicem tritis, adde Oleum, ac
Mucilagine gummi Arabici
fac maſſam pilularem.
Juxta Pharmacopœam Edinburgenſem.

† PI-

† PILULAE HYDRARGYRI JALAPPINAE.

PILULÆ EX RESINA JALAPPÆ. PILULÆ PURGANTES.

℞ *Saponis Jalappini partes tres,*
Muriatis hydrargyri oxydulati partem unam.

Misce. Fiat massa pilularis.
Juxta Pharmacopœam Borussicam.

Liquores.

† LIQUOR ACETITIS PLUMBI.

AQUA VEGETO-MINERALIS. AQUA SATURNINA.

℞ *Acetitis plumbi liquidæ, concentratæ, unciam dimidiam,*
Spiritus vini graduum decem, uncias duas,
Aquæ depuratæ libras duas.

Misce.

LIQUOR CUPRI AMMONIACI.

AQUA SAPHIRINA. AQUA OPHTHALMICA COERULEA. AQUA COELESTIS.

℞ Oxydi cupri, per acidum vegetabile, grana quatuor,
Carbonatis ammoniæ alcalini, liquidi, grana duodecim.

Solutionem dilue

Aquæ depuratæ unciis octo.

Serva.

† *LIQUOR MURIATIS HYDRARGYRI.*

LIQUOR MERCURIALIS. AQUA DIVINA FERNELII, loco AQUÆ PHAGADÆNICÆ.

℞. *Muriatis hydrargyri drachmam unam,*
Aquæ depuratæ libras duas.

Solve.

LIQUOR MURIATIS HYDRARGYRO-AMMONIACALIS.

℞. Muriatis hydrargyri,
Muriatis ammoniæ, utriusque drachmam unam,
Aquæ depuratæ libras duas.

Solve.

Un-

Unguenta.

REGULÆ PRO PARANDIS UNGUENTIS.

1. Medicamenta externa, Unguenta dicta, ex Pinguedine animali, vegetabili, et Cera fiunt, quibus liquatis admiscentur Resinæ, Gummi-resinæ, Olea ætherea, Pulveres vegetabiles, Præparata metallica, Sapo, caet.

2. Pinguia non volatilia, ut Oleum, Axungia, Sebum, Cera, primum in vase stanneo, vel stanno probe obducto, cui fundus orbicularis vel subplanus, leni igne liquata misceantur, ac per pannum linteum colentur. Mixto pingui colato adjiciantur dein Pulveres et Extracta, sub continua agitatione, adhibita apta lignea spatula, donec massa refrixerit.

3. Si Unguentis immisceantur corpora volatilia, ut Olea ætherea, Camphora, similiaque, hæc demum admiscenda sub refrigerio.

4. Resinas et Gummi-resinas aliquando Oleo terebinthinaceo subigere convenit, antequam reliquæ massæ addantur.

5. Unguentis sit consistentia mellis firmioris, vel Extracti; accuratissime eorem partes constituentes sint mixtione æquabili unitæ; non sint grumosa, et facile illiniantur.

6. Ser-

6. Serventur vasis clausis, potissimum quibus volatilia principia sunt, et omnibus caveatur a rancore, quem vetustate, calore, et aëre libero atmosphærico contrahunt.

† *UNGUENTUM ACETITIS CUPRI.*

℞ *Unguenti simplicis partes duodecim,*

leni igne emollito, adde

Acetitis cupri, in subtilissimum pulverem redactae, partem unam.

Misce terendo.

† *UNGUENTUM ACETITIS CUPRI CUM MELLE.*

OXYMEL ÆRUGINIS. UNGUENTUM ÆGYPTIACUM.

℞ *Acetitis cupri pulveratae partem unam,*
Tartritis acidulae potassae depuratae partes tres.

Coque, addita

Aquae sufficiente quantitate,

ad Acetitis cupri solutionem. Liquorem cola, et leni igne evapora ad siccitatem. Sal in aëre atmosphaerico sponte liquescat; liquori colato adde

Mellis partes duodecim.

Misce et serva.

† UN-

† *UNGUENTUM ACETITIS PLUMBI.*

UNGUENTUM SATURNINUM, loco UNGUENTI NUTRITI, et UNGUENTI DE LITHARGYRO, ac UNGUENTI DEFENSIVI COERULEI.

℞ *Unguenti ſimplicis partes viginti,*
Acetitis plumbi partem unam.

Accurate misce terendo.

UNGUENTUM ALOËS CUM PETROLEO.

loco UNGUENTI ANTHELMINTICI, et ARTHANITÆ.

℞ Pulveris Aloës capenſis uncias duas,
Fellis bovilli ſpisſati,
Petrolei, utriusque uncias tres,
Axungiæ porci depuratæ libras duas.

Liquefactæ leni calore axungiæ, continuo agitans, admisce pulverem et fel; ac dein masſæ, ab igne remotæ et fere refrigeratæ, adde Petroleum.

† *UNGUENTUM CANTHARIDUM.*

UNGUENTUM VESICATORIUM.

℞ *Unguenti ſimplicis partes ſex,*
Cantharidum, in pulverem redactarum, partem unam.

Leni igne liquefacto unguento admisce Cantharides.

† UN-

† UNGUENTUM CETI.

UNGUENTUM ET EMPLASTRUM SPERMATIS CETI.

℞. *Ceræ albæ,*
Sevi ovilli præparati, utriusque libram unam;
Spermatis ceti libram dimidiam.

Leni igne liquefiant.

† UNGUENTUM ELEMI.

BALSAMUM ARCÆI. UNGUENTUM ELEMI COMPOSITUM.

℞. *Resinæ Elemi,*
Terebinthinae laricinae,
Sevi ovilli,
Axungiae porci depuratae, singulorum par pondus.

Leni igne liquescant, misceantur, per pannum colentur, et agitentur donec refrigescant.

UN-

UNGUENTUM LAURINUM.

UNGUENTUM NERVINUM.

℞. Sevi ovilli depurati uncias octo,
Olei laurini uncias decem,
Olei terebinthinæ unciam unam,
Olei ſuccini rectificati unciam dimidiam.

Sevo, leni calore liquefacto, admisce Oleum laurinum, dein adde reliqua, et agita masſam, donec refrixerit.

UNGUENTUM MURIATIS HYDRARGYRO-AMMONIACALIS.

UNGUENTUM CALCIS HYDRARGYRI ALBI. L.

UNGUENTUM MERCURIALE ALBUM.

℞. Muriatis hydrargyro-ammoniacalis drachmam unam,
Axungiæ porci depuratæ unciam unam.

Misce.

UNGUENTUM NITRATIS HYDRARGYRI.

UNGUENTUM MERCURIALE CITRINUM.

℞. Nitratis hydrargyri ſoluti uncias tres.

Leniter incalescat. Solutioni calenti admisce

Axun-

Axungiæ porci depuratæ, liquefactæ, et ſemi-refrigeratæ, uncias ſedecim.

Agita ſedulo, donec refrixerint.

† *UNGUENTUM OPIATUM.*

UNGUENTUM ANODYNUM.

℞ *Olei olivarum uncias duas cum dimidia,*
Cerae flavae uncias duas.

Liquatis adde

Opii crudi drachmas duas.

Accurate misce.

† *UNGUENTUM OXYDULI HYDRARGYRI.*

UNGUENTUM NEAPOLITANUM. UNGUENTUM HYDRARGYRI SIMPLEX, COERULEUM, ſeu GRISEUM.

℞ *Hydrargyri partes duas,*
Axungiæ oxygenatæ partem unam,
Axungiæ porci depuratæ partes ſex,
Sevi ovilli depurati partem unam.

Hydrargyrum cum axungia oxygenata tere pistillo ligneo, in mortario lapideo, donec extinctum ſit, tum ſenſim admisce axungiam depuratam ac tandem ſevum ovillum, leni calore liquatum.

† *UN-*

† UNGUENTUM OXYDI HYDRARGYRI NITRATI.

UNGUENTUM MERCURII RUBRUM. BALSAMUM OPHTHALMICUM RUBRUM.

℞ Oxydi hydrargyri nitrati drachmam unam,
Axungiæ porci depuratæ uncias quatüor.

Accurate misce.

† UNGUENTUM OXYDI PLUMBI CARBONATI.

UNGUENTUM ALBUM.

℞ Unguenti ſimplicis partes quinque,
Olei olivarum partem dimidiam.

Leni igne emollitis admisce, agitans,

Oxydi plumbi carbonati, pulverati partem unam.

† UNGUENTUM OXYDI PLUMBI CARBONATI CAMPHORATUM.

UNGUENTUM ALBUM CAMPHORATUM.

℞ Unguenti oxydi plumbi carbonati libram unam,
Camphoræ, ſubtiliſſime cum Olei olivarum uncia dimidia tritæ, unciam dimidiam.

Misce.

† *UNGUENTUM PICIS.*

UNGUENTUM BASILICUM.

℞ *Cerae flavae,*
Picis solidae,
Resinae flavae, singularum semilibram,
Olei olivarum libras duas.

Simul liquata colentur per pannum.

UNGUENTUM POPULEUM.

℞ Gemmarum populi recentium libras duas;
Axungiæ porci depuratæ libras quatuor.

Contusas, ac cum axungia probe tritas, gemmas misce, et serva ad æstatem.

Adde

Foliorum recentium Belladonnæ,
Foliorum recentium Hyoscyami nigri, singulorum uncias sex.

Incisa et tusa folia cum massa priore misce, ac coque, donec humor omnis evanuit, dein exprime et cola.

† UN-

† *UNGUENTUM SIMPLEX.*

loco UNGUENTI EMOLLIENTIS.

℞ *Olei olivarum uncias quinque,*
Ceræ albae uncias duas.

Leni igne liquefiant et misceantur.

† *UNGUENTUM SULPHURATUM.*

UNGUENTUM AD SCABIEM, loco UNGUENTI JASSERI.

℞ *Sulphuris ſublimati puri uncias duas,*
Sulphatis zinci unciam unam,
Olei laurini uncias tres,
Axungiae porci depuratae uncias ſex.

Accurate misceantur.

UNGUENTUM TEREBINTHINACEUM.

BALSAMUM LOCATELLI.

℞ Ceræ flavæ uncias quatuor,
Olei olivarum uncias ſex.

Leni igne liquatis, admisce

Terebinthinæ laricinæ uncias ſex,
Santali rubri ſemunciam.

Colatis adde

Balſami peruviani drachmas duas.

Serva.

† *UNGUENTUM ZINCI.*

UNGUENTUM DE NIHILO, loco UNGUENTI GRISEI, sive E LAPIDE CALAMINARI.

℞ *Oxydi zinci unciam unam,*
Axungiae porci depuratae uncias octo.

Axungiae, leni calore emollitae, admisce oxydum, continuo agitans, donec refrixerint.

CERATUM CETI.

CERATUM EX SPERMATE CETI.

℞ Olei olivarum,
Spermatis ceti, utriusque uncias duas,
Ceræ albæ unciam unam.

Liquefacta leni igne agitentur, donec refrixerint. Juxta Pharmacopœam Amſtelodamenſem.

Emplastra.

REGULÆ PRO PARANDIS EMPLASTRIS.

1. Medicamenta externa, *Emplastra* dicta, ab Unguentis majori denſitate unice differunt. Hinc leges, pro

pro parandis Unguentis latæ, hîc in universum sunt observandæ.

2. Emplastra, *Saturnina* vocata, quæ ex soluto plumbi oxydo per pingne fixum habentur, singularem postulant curam.

Pingue in vase metallico ante indicato primum ferveat, dein Oxydum, in pulverem admodum tenuem redactum, vase ab igne semoto, admisceatur, tum iterum igni imponatur, ac nonnihil aquæ calentis adjiciatur. Ebulliens massa sedulo et continuo spatula lignea agitetur, ac aqua prudenter et sæpius restituatur, quæ fervore avolat. Curandum in universum sedulo, ne aqua desideretur. Nec tamen abundet, quum nimia ejus copia solutionem oxydi plumbi difficilem reddat. Quin et caute observandum, ne, aqua omni abacta, nimis ferventi massæ aqua nova adspergatur, quæ subito in vapores elasticos mutata, cum adstantium periculo, emplastrum ex vase projiciat. Aquam desiderari apparet, si majores bullas fervens materia non amplius offerat, et vapores tenues ad perpendiculum adscendant. Hoc si contingat, ab igne vas est seponendum, ut quodammodo refrigescat, antequam nova aqua adjiciatur.

Cæterum coctionis terminus fit, si Oxydum omne plane solutum sit, et portio exigua massæ liquatæ, in aquam frigidam immissa, ceræ mollis instar possit duci, nec digitis adhæreat.

Admisceantur dein ea lege, quæ ad Unguenta dicta est, Pulveres, Extracta, Volatilia, aliaque, ad normam singularum formularum.

3. Emplastra adhuc mollia in Cylindros seu Magdaleones fingantur. Quæ principia per aquam solubilia non continent, in aqua, vel manibus saltem sæpe humectandis, possunt molliri, reliquis autem sic virtus periret.

4. Emplastra sint in atmosphæra adeo firma, ut digitis non adhæreant, ex calore tepido ductilia evadant, et, corporis vivi superficiei admota, mollia maneant, nec tamen fluant, sed huic facile adhæreant.

5. Emplastra charta involuta serventur, sed si principio volatili gaudeant, vesica bubula includantur.

† EM-

† EMPLASTRUM AROMATICUM.

loco EMPLASTRI DE LABDANO. EMPLASTRUM STOMACHICUM.

℞ Cerae flavae uncias octo,
Sevi ovilli uncias sex.

Liquatis et non plane refrigeratis admisce

Pulveris Olibani uncias quatuor,
Pulveris Caryophyllorum uncias duas,
Olei Nucis Moschatæ expressi unciam unam cum dimidia,
Olei Menthæ piperitae drachmas duas.

Serva in vase bene clauso.
Juxta Pharmacopœam Borussicam.

† EMPLASTRUM ASÆ FOETIDÆ.

EMPLASTRUM FOETIDUM. EMPLASTRUM ANTIHYSTERICUM. EMPLASTRUM RESOLVENS.

℞ Emplastri oxydi plumbi semivitrei uncias duas,
Cerae flavae unciam unam.

Liquatis adde

Asae foetidae depuratae uncias duas,
Gummi Galbani depurati unciam unam.

Agita, donec refrixerint.

† *EMPLASTRUM CANTHARIDUM.*

EMPLASTRUM VESICATORIUM.

℞ *Ceræ flavæ uncias octo,*
Resinæ flavæ,
Picis solidæ, utriusque uncias quatuor,
Axungiæ porci depuratæ uncias tres.

Liquatis admisce

Cantharidum, in pulverem tritarum, uncias octo.

Fiat Emplastrum.

† *EMPLASTRUM CONII.*

EMPLASTRUM CICUTÆ. EMPLASTRUM E CONIO.

℞ *Emplastri oxydi plumbi semivitrei,*
Ceræ flavæ, utriusque libram unam, ℥iij - ℥ß
Olei olivarum uncias sex. ℥ß - ℥vj

Liquatis et semirefrigeratis admisce

Pulveris herbæ Conii maculati libram unam. ℥iij - ℥ß

Fiat Emplastrum, vase clauso servandum.

Eodem modo parantur

EM-

EMPLASTRUM HYOSCYAMI.

EMPLASTRUM MELILOTI, adhibito pulvere herbæ et florum Meliloti.

EMPLASTRUM CUMINI.

℞ Emplastri oxydi plumbi ſemivitrei,
Ceræ flavæ, utriusque libram unam,
Olei olivarum libram dimidiam.

Liquatis et non plane refrigeratis, admisce

Pulveris ſeminum Cumini libram unam.

Agita ad refrigerium, ut fiat Emplastrum.

EMPLASTRUM DIAPOMPHOLYGOS.

℞ Ceræ flavæ uncias duodecim,
Olei olivarum uncias ſeptem.

Simul liquatis leni igne adde

Plumbi usti uncias ſex,
Oxydi plumbi carbonati, triti, uncias quatuor,
Oxydi zinci uncias tres,
Gummi olibani unciam unam cum dimidia.

Coque ſub continua agitatione ad conſiſtentiam Emplastri.

Hoc etiam loco *Emplastri griſei* inſerviat.

† *EMPLASTRUM HYDRARGYRI.*

EMPLASTRUM MERCURIALE. EMPLASTRUM COERULEUM, loco EMPLASTRI DE RANIS CUM MERCURIO.

℞ *Emplastri oxydi plumbi ſemivitrei libram unam,*
Olei olivarum,
Reſinæ flavæ, utriusque uncias duas.
Hydrargyri uncias ſex.

Liquatis et non plane refrigeratis oleo ac reſina, hydrargyrum diligenter terendo extingue, iisque ſub continua agitatione Emplastrum liquatum admisce.

EMPLASTRUM OPIATUM.

EMPLASTRUM CEPHALICUM.

℞ Reſinæ Elemi,
Reſinæ Mastiches,
Reſinæ Olibani, ſingularum uncias quatuor,
Reſinæ Benzoës uncias duas,
Reſinæ Terebinthinæ uncias ſex.

In balneo aquæ ad masſam homogeneam compoſitis immisce

Opii pulverati unciam unam,
Balſami Peruviani unciam dimidiam.

Serva.
Juxta Pharmacopœam Borusſicam.

† *EM-*

† EMPLASTRUM OXYDI PLUMBI SEMIVITREI.

EMPLASTRUM COMMUNE. EMPLASTRUM DIAPALMÆ.

℞ *Olei olivarum,*
Oxydi plumbi ſemivitrei, utriusque libras tres,
Axungiæ porci depuratæ libras duas,
Aquæ libras duas.

Coque leni igne, asſidue agitans, ad plenam ſolutionem; inſtilla ſubinde novam aquam, ne humor deficiat, atque ita perge, donec debitam Emplastri conſiſtentiam acquiſiverit; tum in aquam frigidam effunde, omnem humorem ſedulo exprime, et in magdaleones redige.

† EMPLASTRUM OXYDI PLUMBI SEMIVITREI GUMMOSUM.

EMPLASTRUM GUMMOSUM. EMPLASTRUM DIACHYLON CUM GUMMI. EMPLASTRUM AMMONIACI.

℞ *Emplastri oxydi plumbi ſemivitrei libras duas,*
Ceræ flavæ,
Gummi ammoniaci,
Gummi galbani, ſingulorum uncias tres,
Terebinthinæ venetæ uncias duas.

Ceræ et Emplastro liquatis, et non plane refrigeratis, admisce gummi ammoniacum et galbanum, in terebinthina leni calore ſoluta, ut fiat lege artis Emplastrum.

EM-

EMPLASTRUM OXYDI PLUMBI SEMIVITREI CUM SULPHATE FERRI CALCINATO.

EMPLASTRUM DEFENSIVUM. EMPLASTRUM DEFENSIVUM RUBRUM. EMPLASTRUM ROBORANS.

℞ Emplastri oxydi plumbi ſemivitrei libras duas,
Reſinæ albæ ſemilibram,
Ceræ flavæ,
Olei olivarum, utriusque uncias tres,
Sulphatis ferri calcinati uncias octo.

Tere ſulphas cum oleo, ac cæteris leni igne liquatis illud admisce.

EMPLASTRUM PICIS.

EMPLASTRUM PICEUM.

℞ Reſinæ flavæ ſesquilibram,
Picis ſolidæ uncias viginti octo,
Ceræ flavæ uncias viginti.

Liquentur leni igne in Emplastrum.

† EM-

† *EMPLASTRUM RESINOSUM.*

EMPLASTRUM LITHARGYRI CUM RESINA. EMPLASTRUM ADHAESIVUM, seu COMMUNE ADHAESIVUM.

℞ *Emplastri oxydi plumbi semivitrei libras tres,*
Resinæ flavæ uncias sex.

Liquefiant leni calore, bene misceantur, et fiat lege artis Emplastrum.

† *EMPLASTRUM SAPONATUM.*

EMPLASTRUM DE SAPONE. EMPLASTRUM SAPONACEUM.

℞ *Emplastri oxydi plumbi semivitrei libras tres,*
Cerae flavae libram dimidiam,
Saponis veneti rasi uncias tres.

Leni igne liquatis et fere refrigeratis, admisce

Camphorae unciam dimidiam, in
Olei olivarum parva quantitate solutam.

Fiat Emplastrum.
Juxta Pharmacopœam Borusicam.

† CE-

† *CEREOLI SIMPLICES.*

℞ *Cerae flavae uncias sex,*
Olei olivarum unciam unam.

Mixtis leni igne pannum linteum texturae subtilioris, vel sericum, immitte, huncque aequabiliter iis imbutum extrahe, ac refrigeratum et in partes latiores divisum, inter laminas duas ex ligno duro, verbi gratia buxino, volvatur in cylindros variae, singulos tamen aequalis diametri, sapone albo poliendos.

Pondera solita, ad usus medicos, in nova conversa. *Tab. 1.*

Uncia.	*valet.*	*proxime.*
℥ ½	15ʔ. 38.	℘ 15.
— 1.	30. 76.	— 31.
— 1½	46. 14.	— 46.
— 2.	61. 52.	— 62.
— 2½	76. 90.	— 77.
— 3.	92. 28.	— 92.
— 3½	107. 66.	— 108.
— 4.	123. 04.	— 123.
— 4½	138. 42.	— 138.
— 5.	153. 80.	— 154.
— 5½	169. 18.	— 169.
— 6.	184. 56.	— 185.
— 6½	199. 94.	— 200.
— 7.	215. 32.	— 215.
— 7½	230. 70.	— 231.
— 8.	246. 08.	— 246.
— 8½	261. 46.	— 261.
— 9.	276. 84.	— 277.
— 9½	292. 22.	— 292.
— 10.	307. 60.	— 308.
— 10½	322. 98.	— 323.
— 11.	338. 36.	— 338.
— 11½	353. 74.	— 354.
— 12.	369. 12.	— 369.
— 18.	553. 68.	— 554.
— 24.	738. 24.	— 738.
— 30.	922. 82.	— 923.
— 32.	984. 24.	— 984.
— 32½	999. 72.	— 1000.
— 36.	1107. 36.	— 1107.

Drachma.	*valet.*	*proxime.*
ʒ ½	1ʔ. 92.	℘ 2.
— 1.	3. 84.	— 4.
— 1½	5. 77.	— 6.
— 2.	7. 69.	— 8.
— 2½	9. 61.	— 10.
— 3.	11. 54.	— 12.
— 3½	13. 46.	— 13.
— 4.	15. 38.	— 15.

Scrupulus.	*valet.*	*proxime.*
℈ ½	0ʔ. 64.	℘ 0. 6.
— 1.	1. 28.	— 1. 3.
— 1½	1. 92.	— 1. 9.
— 2.	2. 56.	— 2. 6.
— 2½	3. 20.	— 3. 2.
— 3.	3. 84.	— 3. 8.

Granum.	*valet.*	*proxime.*
Gr. 1.	0ʔ. 064.	℘ 0. 06.
— 2.	0. 128.	— 0. 13.
— 3.	0. 192.	— 0. 19.
— 4.	0. 256.	— 0. 26.
— 5.	0. 320.	— 0. 32.
— 6.	0. 385.	— 0. 38.
— 7.	0. 449.	— 0. 45.
— 8.	0. 513.	— 0. 51.
— 9.	0. 577.	— 0. 58.
— 10.	0. 641.	— 0. 64.
— 11.	0. 705.	— 0. 70.
— 12.	0. 769.	— 0. 77.
— 13.	0. 833.	— 0. 83.
— 14.	0. 897.	— 0. 90.
— 15.	0. 961.	— 0. 96.
— 16.	1. 025.	— 1. 02.
— 17.	1. 089.	— 1. 09.
— 18.	1. 154.	— 1. 15.
— 19.	1. 218.	— 1. 22.
— 20.	1. 282.	— 1. 28.
— 21.	1. 346.	— 1. 34.
— 22.	1. 410.	— 1. 41.
— 23.	1. 474.	— 1. 47.
— 24.	1. 538.	— 1. 54.
— 25.	1. 602.	— 1. 60.
— 26.	1. 666.	— 1. 66.
— 27.	1. 730.	— 1. 73.
— 28.	1. 794.	— 1. 79.
— 29.	1. 858.	— 1. 86.
— 30.	1. 923.	— 1. 92.

Hygrometra pro liquoribus aqua levioribus.				Hygrometrum pharmaceuticum pro liquoribus aqua gravioribus.			
Pharmaceuticum		Amstelaedamense.	Baumé-anum.				
Grad.	Densitas	Densitas	Densitas	Grad.	Densitas	Grad.	Densitas
50	742		782	0	1000	40	1384
49	746		787	1	1007	41	1398
48	750		792	2	1014	42	1412
47	754		796	3	1022	43	1426
46	758		800	4	1029	44	1440
45	762		805	5	1036	45	1454
44	766		810	6	1044	46	1470
43	770		814	7	1052	47	1485
42	774		819	8	1060	48	1501
41	778		823	9	1067	49	1516
40	782	805	828	10	1075	50	1532
39	787	809	832	11	1083	51	1549
38	792	813	837	12	1091	52	1566
37	796	817	842	13	1100	53	1583
36	800	820	847	14	1108	54	1601
35	805	825	852	15	1116	55	1618
34	810	829	858	16	1125	56	1637
33	814	834	863	17	1134	57	1656
32	819	838	868	18	1143	58	1676
31	823	842	873	19	1152	59	1695
30	828	846	878	20	1161	60	1714
29	832	850	884	21	1171	61	1736
28	837	854	889	22	1180	62	1758
27	842	858	895	23	1190	63	1779
26	847	862	900	24	1199	64	1801
25	852	866	906	25	1210	65	1823
24	858	870	911	26	1221	66	1847
23	863	874	917	27	1231	67	1872
22	868	878	923	28	1242	68	1897
21	873	883	929	29	1252	69	1921
20	878	888	935	30	1261	70	1946
19	884	893	941	31	1275	71	1974
18	889	898	948	32	1286	72	2002
17	895	903	954	33	1298	73	2031
16	900	908	961	34	1309	74	2059
15	906	913	967	35	1321	75	2087
14	911	918	974	36	1334		
13	917	923	980	37	1346		
12	923	928	987	38	1359		
11	929	934	993	39	1372		
10	935	940	1000				
9	941	946					
8	948	952					
7	954	958					
6	961	964					
5	967	970					
4	974	976					
3	980	982					
2	987	988					
1	993	994					
0	1000	1000					
1	1007						
2	1014						
3	1022						
4	1029						
5	1036						
6	1044						
7	1052						
8	1060						
9	1067						
10	1075						





I N D E X.

A.

† *Aci-*

Al-

Ar-

B.

ca-

Co-

D.

Em-

Ex-

F.

† *Fœ-*

He-

I.

† Ja-

† *Li-*

M.

Mag-

N.

Na-

O.

† *Oxy-*

P.

† *Pul-*

S.

San-

Spi-

Sul-

T.

Tar-

Tinc-

U.

† Un-

Vi-

†††

ER-

ERRATA

IN

CONSPECTU OPERIS.

Pag.	III lin. 21	columnæ prioris	Oxydum zinci nativum, potissimum oxydo ferri inquinatum. *lege* Oxydum zinci nativum.
——	IV — 1	—— posterioris	Veneneris *lege* Veneris.
——	IX — 4	—— prioris	qui *lege* quæ
——	XXI — 10	——	Posphorus *lege* Phosphorus.
——	XXV — 4	——	† *Carbonas magnesiæ alcalinum* lege † *Carbonas magnesiæ.*

ERRATA

IN

OPERE.

Pag.	16 lin. 15 et aliis locis	destillata	*lege* depurata
——	17 — 11	17	— 17, sed vetustum, aqua depurata solutum.
——	22 — 1	†*GARBONAS*	— †*CARBONAS.*
——	30 — 19	*floribus*	— *flosculis*

Pag.

E R R A T A.

Pag.	34	lin. 5	*pellucida*	lege *pellucida, odoris minus grati, aromatici,*
—	34	— 13	*intus*	— *intus alba,*
—	35	— 10	Amygdæle	— Amygdalæ.
—	42	— 17	BRITTANICA	— BRITTANNICA
—	45	— 15	prætereæ	— præterea
—	48	— 19	*Peruaguay*	— *Paraguai*
—	62	— 13	Strips	— Stirps
—	70	— 19	*submarus*	— *subamarus*
—	92	— 4	sulphuereos	— sulphureos
—	115	— 19	THUS vid. OLIBANUM.	— † *THUS vid. OLIBANUM.*
—	136	— 6	epistomio	— epistomio vitreo
—	151	— 19	KALI CAUSTICUM SICCUM. B.	— CAUSTICUM COMMUNE ACERRIMUM. E. KALI PURUM L. KALI CAUSTICUM SICCUM. B.
—	152	— 5	LIQUOR AMMONII CAUSTICI. L.	— LIQUOR AMMONII CAUSTICI. B.
—	173	— 6	*Carbonate magnesiæ alcalino*	— *Carbonate magnesiæ*
—	175	— 19	cribum	— cribrum
—	191	— 1	SICCATUM	— EXSICCATUM.
—	206	— 2	*ANTIMONIUM MURIATICUM. E. et L.*	— *ANTIMONIUM MURIATUM E. et L.*

Pag.

E R R A T A.

Pag.	218 lin.	9	veniat ejus usus, *lege* opus sit,	
——	218 —	10	crasitudinem	— crassitudinem
——	272 —	7	quam	— quem
——	280 —	12	Scamonii	— Scammonii

E R R A T A

IN

I N D I C E.

Pag.	6 lin. 5	columnæ prioris	oydatum *lege* oxydatum
——	7 — 13	——————	† *Carbonas magnesiæ alcalinum.* lege † *Carbonas magnesiæ.*

Præter ea, quæ in Pharmacopoea Batava † notantur medicamina, in pharmacopoeis minorum oppidorum et pagorum præsto sint sequentia:

† *DULCAMARA*, *stipites.*
† *GEOFFROYA SURINAMENSIS*, *cortex.*
† *LAPATHUM ACUTUM*, *OXYLAPATHUM*, *radix.*
† *SANTONICUM*, *semen.*
† *SOLUTIO MURIATIS FERRI COMPOSITA.*

PU-

PUBLICATIE.

HET STAATS-BEWIND DER BATAAFSCHE REPUBLIEK doet te weten:

Dat het Wetgevend Ligchaam van het Bataafsch Gemeenebest goedgekeurd hebbende de Voordragt, door het Staats-Bewind daartoe aan hetzelve gedaan, is geſtatueerd, gelijk wordt geſtatueerd bij dezen, de navolgende

VERORDENING omtrent het gebruik der Pharmacopœa Batava.

Art. 1.

Ten einde het verſchil, hetwelk in de Voorſchriften der onderſcheidene, in dit Gemeenebest gevolgd wordende, Pharmacopoeën plaats heeft, weg te nemen; het geheel gemis van Voorſchriften voor de zamenſtelling der Medicijnen, hetwelk in vele ſtreken van ons Vaderland plaats heeft, te vervullen; en de Apothekers aan eene welingerigte bereiding hunner Geneesmiddelen te verbinden; zal over de geheele Republiek worden ingevoerd de Pharmacopœa Batava, op ſpecialen last van het voormalig Uitvoerend Bewind, opgeſteld door de Burgers *S. J. Brugmans*, *P. Drieſſen*, *G. Vrolik*, *J. R. Deiman* en *G. G. ten Haaff*.

Art.

PUBLICATIE.

Art. 2.

Deze Pharmacopœa zal, op de wijze door het Staats-Bewind te bepalen, worden gedrukt en uitgegeven; en zal geene Vertaling, het zij in het Nederduitsch of eenige andere Taal, in deze Republiek mogen gedrukt, uitgegeven of verspreid worden, dan die onder speciale goedkeuring van het Staats-Bewind gemaakt is, op eene boete van vijfhonderd Guldens, en de verbeurte van alle de Exemplaren, daar van bij den Drukker, Uitgever of Verspreider voorhanden.

Art. 3.

Alle Apothekers, als mede alle Medicinæ Doctoren of Chirurgijns, die winkels aan hunne huizen houden, of bij wien Ordonnantiën gereed gemaakt worden, zullen, op verbeurte van eene boete van honderd Guldens, verpligt wezen, om binnen den tijd van één jaar na de publicatie dezes, hunne winkels interigten naar het gene dienaangaande in de Pharmacopœa Batava bepaald wordt.

Art. 4.

Ook zullen de Geneesmiddelen, behalven met de oude, ook met de nieuwe Namen, door welke zij in de voorzeide Pharmacopœa worden aangeduid, op de Flesschen, Potten, Doozen, enz. moeten onderscheiden worden, op eene boete van éénen Gulden voor elke Flesch, Pot, Doos, enz., waarop bij de visitatie van den winkel de nieuwe Naam niet staat aangeduid.

Art.

PUBLICATIE.

Art. 5.

Elk Apotheker, of die een Apothekers-winkel aan zijn huis houdt, in eene Stad, alwaar een Plaatselijk Collegie van Geneeskundig Toevoorzigt, onder welken naam ook, gevestigd is, woonachtig, zal verpligt zijn, alle de Medicamenten in zijnen winkel-voorraad voorhanden te hebben, welke in de Pharmacopœa Batava worden opgegeven, op verbeurte van drie Guldens voor elk defect, dat 'er, te dien opzigte, in deszelfs winkel bevonden wordt plaats te hebben; gelijk mede de Apothekers of Medicinæ Doctoren en Chirurgijns, die ten platten Lande of in Steden, alwaar geen Plaatselijk Collegie van Geneeskundig Toevoorzigt gevonden wordt, geëtablisseerd zijn, op verbeurte van gelijke boete voor ieder defect in hunnen winkel, zullen moeten nahouden alle de Geneesmiddelen, welke ter hunner onderrigting met een teeken (†) in dezelve Pharmacopœa aangeduid, en met eene andere letter gedrukt zijn, omtrent welk laatste de Collegiën van Geneeskundig Toevoorzigt zoodanige inschikkelijkheid zullen kunnen gebruiken, als uit hoofde der plaatselijke omstandigheden zal noodig geoordeeld worden.

Art. 6.

Alle enkelvoudige Geneesmiddelen zullen van die qualiteit moeten zijn, als in de Pharmacopœa Batava wordt opgegeven, terwijl voorts alle zamengestelde naar de Voorschriften, daar in vervat, naauwkeurig zullen moeten bereid worden. En zal voor elk Medicament, hetwelk bevonden wordt ondeugdzaam,

zaam, vervalscht, of niet naar de voorſchreven Pharmacopœa bereid te zijn, verbeurd worden eene boete van zes Guldens. En wanneer iemand, bij herhaling en niettegenſtaande diverſe voorafgaande beboetingen, bevonden wordt, ondeugdzame, vervalschte, of niet naar het meergemeld Voorſchrift bereidde Medicamenten natehouden, of in andere, dan bij het volgend Artikel bepaalde gevallen, te debiteren, zal de winkel voor zes weken moeten gesloten worden, zonder dat inmiddels daar uit eenige Geneesmiddelen zullen mogen afgegeven of verkocht worden, op eene boete van vijf honderd Guldens daarenboven, bij den eigenaar van den winkel te verbeuren, indien hij, in weerwil van deze correctie, gedurende dien tijd uit zijnen winkel eenige Geneesmiddelen mogt komen te verkopen, aftegeven, of op eenigerlei manier te debiteren. Terwijl laatſtelijk, wanneer hij, na het weder openen van zijnen winkel, bevonden mogt worden, op nieuw vervalschte, ondeugdzame, of niet naar eisch bereidde Medicamenten nagehouden, afgegeven of verkocht te hebben, de zoodanige niet alleen zal verbeuren eene ſomme van vijf honderd Guldens, maar bovendien aan hem geïnterdiceerd worden de Pharmacie in de geheele Republiek uitteoefenen, op pœne, dat hij, contrarie dezes handelende, zwaarder zal worden geſtraft, naar exigentie van zaken, zelfs met bannisſement.

Art. 7.

Het zal nogtans vrij ſtaan, doch niet anders dan op ſchriftelijke begeerte van den eenen of anderen Arts,

Arts, en ten dienste van deszelfs bijzondere Patienten, om ook nog andere of anders bereidde Medicamenten te debiteren, dan die in Pharmacopœa Batava gevonden worden.

Art. 8.

Ook zal ieder Apotheker, of die eene Apotheek aan zijn huis houdt, alwaar een Plaatselijk Collegie van Geneeskundig Toevoorzigt is. geconstitueerd, verpligt zijn, behalven naauwkeurige Maten en Gewigten, ook natehouden een Areo- of Hijgrometer, op eene boete van tien Gulden. En, ten einde deswege de meest mogelijke gelijkvormigheid in acht genomen worde, zal bij ieder Collegie van Geneeskundig Toevoorzigt moeten berusten één of meer naauwkeurige modellen van zoodanig werktuig, waarnaar alle de Hijgrometers, door de Apothekers, onder het resfort van zoodanig Collegie woonachtig, gebruikt wordende, zullen moeten getoetst en goedgekeurd worden.

Art. 9.

En, ten einde op de executie dezer Verordening naar behooren zoude kunnen gewaakt worden, zullen alle Collegiën, aan welke het Toevoorzigt op de uitoefening der Pharmacie in Steden of ten Platten Lande is toevertrouwd, verpligt zijn alle winkels van Apothekers, of ook van Medicinæ Doctoren en Chirurgijns, waar Medicijnen geleverd of Ordonnantiën van Medicinæ Doctoren gereed gemaakt worden, als mede de kelders, provisie-kasfen en werkplaat-

plaatsen derzelve, één of meermalen 's jaars, op onbepaalde tijden, en zonder voorafgegane waarschouwing, te visiteren, den geheelen winkel-voorraad, en voornamelijk de belangrijkste Medicamenten, naauwkeurig te onderzoeken, en dezulke, welke zij ondeugdzaam of vervalscht bevinden, door den Gecalangeerden, des goedvindende, verzegeld, mede te nemen.

Art. 10.

En zal niemand zich aan deze visitatie, door eenige uitvlugten hoe ook genaamd, mogen onttrekken, op pœne van twee honderd Guldens, onverminderd de verpligting, om die visitatie op eenen anderen dag toetelaten.

Art. 11.

Tot het doen van alle bekeuringen en calanges, hier boven vermeld, worden de voorzeide Collegiën van Geneeskundig Toevoorzigt alleen en bij uitsluiting bevoegd verklaard, voor zoo verre dezelve boeten niet verzeld zijn met eenige andere straffen van winkelsluiting, interdictie om de Pharmacie uitteoefenen, of bannissement, in welke laatste gevallen de bovengemelde Collegiën gehouden en verpligt zijn, om aan den Officier of Rigter van de Plaats of District, alwaar of waar onder de schuldige woonachtig is, daar van dadelijk aangifte te doen, en denzelven te voorzien van de noodige bewijzen tot het instituieren zijner actie, en zullen de Officieren en Rigters verpligt zijn, om op zoodanige aangifte

ter

ter zake voorschreven tegen de schuldigen te procederen, zonder conniventie of dissimulatie; en zal deswege geenszins vermogen te worden gecomposeerd, dan met voorkennis en approbatie van zoodanig Collegie, op pœne van arbitraire correctie.

Art. 12.

De boeten, bij den inhoud dezes vermeld, profluerende uit de calanges, door de Commissiën zelve gedaan, zullen komen geheel ten profijte van de algemeene Armen der plaats, waar de beboette woonachtig is. Alle andere zullen voor een derde genoten worden door den Officier, die de calange doet, voor een derde door de Commissie, onder welker ressort de beboette woonachtig is, en voor het overige derde door de algemeene Armen der plaats.

Dat het Staats-Bewind, ten gevolge Artikel 2 der voorschreven Verordening, heeft goedgevonden en verstaan:

1°. Dat de voormelde Pharmacopœa Batava, zoodanig als dezelve in de Latijnsche Taal is opgesteld door de Burgers *S. J. Brugmans*, *P. Driessen*, *G. Vrolik*, *J. R. Deman* en *G. G. ten Haaff*, zal worden gedrukt en uitgegeven bij en voor rekening van den Boekhandelaar *Johannes Allart* te Amsterdam, als aan wien, deszelfs erfgenamen, of regtverkrijgenden, het Kopij-regt derzelve Pharmacopœa Batava bij formeel Contract is verleend.

2. Dat

PUBLICATIE.

2°. Dat van dezelve Pharmacopœa Batava zullen worden opgelegd twee Uitgaven, als eene in groot Quarto, op Roijaal Schrijfpapier, met breede randen, tot een meer gerijfelijk gebruik in de Apothekers-winkels, en eene in groot Octavo, op Druk Mediaan.

3°. Dat van dezelve Pharmacopœa Batava zal worden in het licht gegeven eene Nederduitsche Vertaling, te vervaardigen door de Commissie, welke de Pharmacopœa zelve heeft opgesteld; van welke Vertaling eene Uitgave, in groot Octavo, op Druk Mediaan, zal worden opgelegd.

Dat de Geneesmiddelen, welke in de Pharmacopœa Batava met een teeken (†) zijn aangeduid, bovendien, tot meerder onderscheiding, in elke der drie voormelde Uitgaven cursijf zullen worden gedrukt.

Dat geene Exemplaren van dezelve Pharmacopœa, en van geene der drie voormelde Uitgaven, zullen mogen worden gedebiteerd, ten zij dezelve alvorens zullen zijn geteekend door den Burger *H. A. Bake*, Commissaris tot de zaken der Geneeskundige Staatsregeling bij den Raad van Binnenlandsche Zaken, als daar toe expresselijk door het Staats-Bewind gequalificeerd.

6. Dat

PUBLICATIE.

6o. Dat de Boehandelaar *J. Allart* voornoemd zal gehouden zijn om te zorgen, dat bij de eerste verzending der Pharmacopœa Batava in alle voorname plaatsen der Republiek, en vervolgens ten allen tijde in de Steden Alkmaar, Amsterdam, Haarlem, Leijden, den Haag, Delft, Gouda, Rotterdam, Dordrecht, Ziericzee, Middelburg, Goes, Bergen op den Zoom, Breda, den Bosch, Utrecht, Amersfoort, Harderwijk, Nijmegen, Arnhem, Zutphen, Deventer, Zwolle, Franeker, Leeuwarden en Groningen, een genoegzaam aantal Exemplaren van alle drie de voormelde Uitgaven, zonder eenig verder bezwaar, dan den hier na te bepalen winkel-prijs, (*) verkrijgbaar zij, ten dien effecte, dat nimmer door iemand, hoe ook genaamd, omtrent eenigerhande Uitgave, te vergeefs aanvrage worde gedaan; zullende de Uitgever voornoemd, ingeval van dien, volgens den inhoud van bovengemeld Contract, op de eerste aanklagte verpligt zijn te betalen, ten behoeve der algemeene Armen van de plaats, waar de vergeefsche aanvrage is geschied, eene somme van vijf-en-twintig Guldens, wanneer door denzelven niet zal zijn gezorgd, dat binnen veertien dagen daar na een genoegzaam aantal te dier plaatse voorhanden zij.

Dat

PUBLICATIE.

Dat de afdruk der beide Latijnſche Uitgaven van meergemelde Pharmacopœa Batava, op den voormelden voet, thans zoo verre gevorderd zijnde, dat dezelve binnen weinig weken zullen worden uitgegeven, terwijl de Uitgave der Nederduitſche Vertaling, zoo dra dezelve in gereedheid zal zijn, van wege het Gouvernement dezer Republiek, in de Nieuwspapieren zal worden aangekondigd, mitsdien aan alle Perſonen, vallende in het derde Artikel der bovenſtaande Verordening, uitdruklijk wordt aanbevolen, om een Exemplaar der alzoo, op openbaar gezag, uitgegevene Pharmacopœa Batava in hunne winkels voorhanden te hebben; en wijders aan alle Collegiën binnen de Bataafſche Republiek, hoe ook genaamd, aan welke het Toevoorzigt op de uitoefening der Pharmacie in Steden of ten Platten Lande is toevertrouwd, geïnjungeerd, om op de nakoming van al hetgeen bij dezelve Verordening is voorgeſchreven en vastgeſteld, het naauwkeurigst toezigt te houden; gelastende eindelijk hetzelve Staats-Bewind alsmede Politieke en Regterlijke Collegiën en Perſonen in het Gemeenebest, om het hier voren geſtatueerde in allen executeren en nakomen, als mede tegen de contraventeurs te procederen en te doen procederen, zoo als volgens eene goede adminiſtratie der Policie en Juſtitie zal worden bevonden te behooren.

En

P U B L I C A T I E.

En zal, ten einde niemand hier van eenige onwetenheid voorwende, deze worden afgekondigd en aangeplakt alomme, waar zulks behoort.

In den Haag, den 25 Februarij 1805.

(Was geparapheerd)

J. B. BICKER, vt.

(Onder ſtond)

Ter Ordonnantie van
het Staats-Bewind.

(Was geteekend)

C. G. HULTMAN.

(*) De winkel-prijs dezer Uitgave is *f* 3 — 9 —

37.-